Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

David Chyträus

Dauidis Chytraei || ORATIO || DE STATV EC=||clesiarum hoc tempore in GRAE-||CIA, Africa, Vngaria,|| Boëmia, &c.|| cui praeter || Epistolas aliquot Patriarchae Byzantini,|| et alias, in monte SINAI,|| et alibi in Oriente re-||cens scriptas;|| accesserunt in postrema hac editione || Literae praesenti anno 1580. Constantinopoli al-||latae, in quibus, et superioris Orationis, et || REGVM PERSIAE, qui nunc cum || Turcis bellum gerunt, mentio sit.|| Item De Fide et Religione AEthiopum in intimis || Africae regnis, Praete Iohanni subiectis. vnà || cum GENEALOGIA REGVM || PORTVGALLIAE.|| Omnia lectu digna & iu-||cundissima.||

Rostock: Möllemann, Stephan, 1580

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574/phys_0001

143 p
Pr. Engr. 110 fol Inv
Leg. A — C 56. l. 13.
30 40 fol
Leg. A — N.

F. f — 3505 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015145574/phys_0002

1. VD16 ZV 15834

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574/phys_0003

Ff-3505.12.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574/phys_0004

Dauidis Chytræi
ORATIO
DE STATV EC-
clesiarum hoc tempore in *GRÆCIA*, Africa, Vngaria, Boëmia, &c.

cui præter
Epistolas aliquot Patriarchæ Byzantini, & alias, in monte SINAI, & alibi in Oriente recens scriptas;

accesserunt in postrema hac editione
Literæ præsenti anno 1580. Constantinopoli allatæ, in quibus, & superioris Orationis, & REGVM PERSIÆ, *qui nunc cum Turcis bellum gerunt, mentio fit.*

Item De Fide & Religione Æthiopum in intimis Africæ regnis, Præteiohanni subiectis. vnà cum GENEALOGIA REGVM PORTVGALLIÆ.

Omnia lectu digna & iucundissima.

Rostochij, typis Stephani Myliandri.
Anno M. D. LXXX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574/phys_0005



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015145574/phys_0006

Nobili & Magnifico Domino,
D. NICOLAO KAAS,
inclyti Regis Daniæ Cancellario.

EXimium DEI donum, & multis gentibus salutare, ac verè COMMVNE BONVM EST CANCELLARIVS BONVS. quem, optimum Regis ac Regni thesaurum, Isocrates appellat: &, à Deo dari, sapiens Syracides testatur. Vt autem in Deo Bonitas supra cæterarum virtutum chorum eminet & elucet: ita in

Regibus, & eorum amicis, imaginem & vices DEI in terra gerentibus, Benignitatem ac beneficentiam præcipuè conſpici et enitere decet. ſicut Ariſtoteles Alexandrum hortatur, vt cogitet, Regnum à Deo ipſi datum eſſe ad benefaciendum generi humano.

Cum igitur ex auguſto & perenni Heroicæ Bonitatis veſtræ fonte, riuuli vberes, in me & alios à me commendatos, iamdudum emanarint: ac proximis diebus etiam, M. V. Roſtochium tran-

transiens, me ad colloquium benignè inuitarit; & tum alia quædam, tum verò communicationem literarum in monte Sinai & Constatinopoli & alibi in oriente recens scriptarum, non ingratam sibi fore ostenderit: mittere ad M. V. exempla illa epistolarum, & aliarum de Christianis sub Turcico imperio ecclesijs narrationum, publicè edita, et pluribus etiam alijs bonis & doctis viris, commune bonum, sub augusto Heroicæ Bonitatis vestræ

nomine futura, hoc noui anni principio volui. quem annum, M. V. & inclyto regi ac regno Daniæ, quod ſummo regi Domino Deo, & redemptori noſtro Ieſu Chriſto, fideliter ſeruit; & veri DEI domicilium ac templum eſt; & eccleſiæ ac Regno Chriſti hoſpitium & Halcyonia tranquilla præbet: fauſtum & ſalutarem ex animo precor. Datum in Academia vrbis Roſarum, 15. Ianuarij. Anno 1580:

ORA-

ORATIO D. DAVIDIS CHYTRÆI, CVM POST reditum ex AVSTRIA, ad prælectionem Chronici reuerteretur. anno 1569.

CVM in longa & diuturna hac profectione, multa de statu ecclesiarum in varijs gentibus, in Græcia, Asia, Ægypto, Vngaria, Boëmia & alijs regionibus, partim ipse coràm cognouerim; partim ex hominum fide dignorum nobilium & eruditorum sermonibus, Viennæ & alibi didicerim: existimaui nihil me redeuntem ad epitomes Historiæ mundi, in qua Ecclesiæ consideratio præcipua esse debet, prælectionem, aptius; nihil vobis, qui veræ ecclesiæ membra & ciues patriæ amantissimi estis, iucundius & gratius; nihil ad piam oblectationem & prudentiam alendam vtilius, præfari posse: quàm si summa sequens fastigia rerum, ea, quæ de ecclesiarum præcipuè conditione in illis gentibus, memorabilia & certa percepi, oratione mea breuiter delibarem.

Mihi quidem in tantis vitæ humanæ & religionum confusionibus, & in tanta multitudine & potentia hostium Christi, & tristissimis dilacerationibus eorum cœtuum, qui de nomine Christi gloriantur, pergrata & dulcis etiam consolatio fuit; Quòd ecclesiam Christi, agnoscentem & colentem verum DEVM æternum patrem, filium, et Spiritum sanctum, non solùm conseruari in mundo omnibus temporibus et locis, nec exiguis hisce & angustissimis Europæ finibus tantùm contineri; sed in media Turcia, in Græcia, Asia, Armenia, Iberia, & intimæ Africæ regnis latissimis, publico euangelij Christi & sacramentorum ministerio colligi et propagari, tùm antea ex monumentis historiarum publicè editis, tùm verò nunc per αὐτόπτας etiam & oculatos testes magna ex parte, edoctus sum.

Scio in peregrinationibus, alios vrbium frequentiam, ædificiorum splendorem, formam vestitus nouam, quam ferè solam fatui ex peregrinis regionibus secum referunt, mirari. alios prudentiores, Rerumpublicarum formas, & peritorum hominum sensus ac mores, & historias rerum memorabilium in ijs regionibus bello & pace olim gestarum, studiosè inquirere.

At Ecclesiæ Christi ciues, Doctrinam de Deo in singulis regionibus sonantem, formam ecclesiarum,

rum, ritus religionum, ſtudia literarum & artium laudabilium, & piorum ac eruditorum de maximis rebus ſententias & iudicia ſciſcitari & conſiderare in primis decet.

Fuit igitur meum quoq;, in hac profectione, ad quam non curioſitate aliqua aut libidine priuata, (vſu enim edoctus ſum, οἴκοι βέλτερον εἶναι: ac cum Nazianzeno mihi iam μεγίστη πρᾶξις ἡ ἀπραξία ἐστὶ:) ſed ſummi magiſtratus autoritate & vocatione extruſum me eſſe ſcitis; præcipuum ſtudium: vt mandatos mihi labores & neceſſaria vocationis officia Deo iuuante fideliter facerem, & de ſtatu Eccleſiarum, in illis gentibus, & exteris etiam nationibus, multa, ex viris ſapientibus & peritis, ſciſcitarer.

Initio autem, vt propoſui, de Græcia, poſtea de Aſiæ, Vngariæ & Boëmiæ eccleſijs dicturus, æterno Deo conditori & cuſtodi eccleſiæ ſuæ, toto pectore gratias ago, quòd immenſa bonitate & miſericordia, eccleſiam ſibi æternam, publica euangelij voce, ex genere humano, paßim toto orbe terrarum colligit & conſeruat. Nam in ipſa GRÆCIA, hodierno die, non modò Doctrinam & Ritus Chriſtianæ religionis, verùm etiam Ordinem & gradus Epiſcoporum, totamq; politiam & iuriſdictionem eccleſiaſticam, ſub Turcica ty-

rannide tolerari & defendi, ex multis fide dignis testibus, qui Constantinopoli, & in Græcia diu vixerunt, cognoui.

Ac certum est, nostro etiam tempore, Quatuor Patriarchas (quorum crebra in veteribus historiæ ecclesiasticæ & imperij Byzantini scriptoribus mentio fit) Byzantinum, Alexandrinum (cuius sedes Alcairum translata est:) Antiochenum (qui iam in pulcherrima omnium, quæ in Asia Turcis parent, urbe Damasco habitat:) & Ierosolymitanum; omnibus, quæ sub imperio Turcico sunt, ecclesijs Christianis præesse. Omniumq; latissime patere Byzantini Patriarchæ diœcesin, quæ in Europa, totam Græciam, Mysiam, seu Seruiam & Bulgariam, Thraciam, Vualachiam, Moldauiam, Russiam, Moscouiam, insulas Ægei maris, & Asiam minorem, complectitur. Is Constantinopoli sedem habet. vbi quanquam splendidissima S. Sophiæ Filij Dei ædes, & aliæ veteres et recens à Solymanno ædificatæ, Mahometicis blasphemijs possessæ tenentur: tamen plura quàm vignti Christianorum templa reliqua sunt. Habet & senatum seu collegium Duodecim virorum nobilium & eruditorum sibi adiunctum, cum quo communicatis sententijs ac consilijs, ecclesias suæ diœcesi subiectas, per Archiepiscopos & alios inferioris ordinis Episcopos

pos gubernat. quibus ministerium doctrinæ ac sacramentorum, et rectio disciplinæ libera, sed prorsus nulla ciuitatum & oppidorum dominia vel iurisdictio politica concessa est. Vni Archiepiscopo amplissimæ vrbis Thessalonicæ (quam Salonich hodie vocant) vbi tria iantùm templa Turci, Christiani verò plura quàm triginta tenerent, decem adhuc Episcopos esse subiectos; Attico verò pauciores aliquantò subesse, Græcus quidam Thessalonicensis nobis commemorauit: addens, se Athenis, ante quinquennium, 250. sacerdotes Chrtstianos in publicæ processione incedentes simul vidisse.

Quod etsi ab aliorum narrationibus, qui planè deletam & extinctam hoc tempore vrbem Atticam, & vix paucas piscatorum casas et mapalia hinc inde sparsa extare referunt, planè discrepat: tamen vt quæ volumus & credimus libenter ita mihi de ATHENIS, vetustissimo doctrinarum & artium omnium laudatarum domicilio, de cuius ἐπωνυμίᾳ Neptunum & Palladem, vt in his quoque Balthici littoris vrbibus accidit, contendisse ferunt, plúsne maritimis nauigationibus ac mercaturæ, quàm studijs sapientiæ & doctrinæ deberet? studiosè scisciranti, periucundum fuit; quòd & vrbem Athenas nostro tempore adhuc superstitem esse, & hospitium ac sedem Ecclesiæ Christi mediocrem

mediocrem præbere, ex Græcis ipsis cognoui. Quorum fidem, etsi Hodæporico Hugonis Fauolij & aliorum diuersa dicentium sermonibus nequaquam anteferendam quidam iudicabunt: tamen congruere cum illorum narratione, non literas solùm recens Constantinopoli in Germaniam scriptas, verum aliqua ex parte etiam Laonici Chalcondylæ historiam comperi, qui Athenarum vrbem, post captum Byzantium adhuc, amplam & populosam floruisse, & Mahometem II. Imp. Turcicum, quinquennio post captam Constantinopolim, ex Peloponneso subiugata reuertentem, Athenas deflexisse, & vrbis, arcisq; magnificentiam, portuumq; commoditatem, miratum esse refert.

Tenuerant paulò antè principatum Athenis & Corinthi, multis annis, Acciaioli Florentini, à Reinerio, qui, cùm prouinciæ Imperij Byzantini à Gallis, Venetis & Italis diriperentur, Atticam & Bœotiam occupauerat; vsq; ad Antonium, & Nerium. Quo mortuo, vxor, prætextu filioli ex Nerio susceptí, principatum beneficio Turci retinens, exarsit amore patricij Veneti Palmerij, cuius patri, vrbs Nauplium à Venetis commissa erat. Huic coniugum, & Athenarum ac Bœotiæ ducatum promittit, si coniugem, quam Venetijs nobilissimo genere natam, habebat, quocunque modo repudiaret.

ret. Palmerius regni cupiditate accensus, priore coniuge veneno sublata, Nerij uxorem ducit, ac pro Athenarum principe se palàm gerit. Francus Acciaiolus, Nerij ex fratre Antonio nepos, indignitate rei motus, & quòd principatum à sua familia ad Venetum transferri ægerrimè ferret, in aula Mahometis Palmerium accusat, coq; remoto, tutelam legitimi hæredis ex Nerio nati, & urbis Athenarum præfecturam, ipse impetrat. Iussu igitur Mahometis, ab Athenienſibus benignè receptus, uxorem patrui, Megaris, in carcerem clausam, necat. Ea de cæde, cum rursus in aula Turcica, interfectæ filius, acerbissimè quereretur: Mahometes finem nullum dissidiorum & parricidiorum esse in ea familia cernens: Omarem Thessaliæ præsidem cum exercitu Athenas occupare, & præfectum, addito præsidio in arce collocare iubet. Qui nomine Regio, & amplissimam urbem tranquillam in officio retineret, & vicinam Atticam, Bœotiam, Locros & Phocidem gubernaret. Francus post aliquot annos recuperare urbem conatus, iussu Mahometis, à Zogano, Pelopenneſi præfecto, occisus est.

Ab eo tempore, urbs Attica, sub Turcarum imperio, mediocri tranquillitate & quiete usa, Religionem Christianam, qualis antea etiam sub Palæologis

læologis Impp. paßim vſitata erat, huc vſque retinuit. ſicut & paßim alibi, in tota Græcia, Chriſtiani habitant. Quibus, cùm tributum annuum de ſingulis capitibus ſingulos aureos pendunt; & facultates & Religio libera relinquuntur.

Sed hoc triſtißimum eſt, quòd, vt olim Chriſtiani imperatores, ex ſingulis Græciæ oppidis, certum numerum liberorum, in quibus egregia indoles præ cæteris elucebat, delegerunt: quos ad publica officia militiæ togatæ & bellicæ in Aula educari curarunt: ita Turci, occupato Græcorum imperio, idem ius eripiendi patribusfamilias liberos ingenijs eximijs præditos, vſurpant: qui ad Turcicæ religionis ritus & ad militiam inſtituuntur. Verùm tamen hos pecunia redimere à conquiſitoribus ſæpe parentibus licet. Reliqui cùm virtutis ſpecimen in bellis egregium præbent, ad ſummos dignitatis & honorum gradus euehuntur. Et multos hæc exempla, & gloria militaris, quæ in generoſis naturis acerrimus ſtimulus eſt, ad Mahometicam religionem inuitant.

Sed Athenas redeo, quæ olim omnis Philoſophiæ ac eloquentiæ, & poſtea etiam doctrinæ religionis, & omnium optimarum artium domicilium fuerunt. Quæ artes, ante centum annos, in ipſa Italia, primùm exilio Græcorum, Theodori Gazæ

Gazæ Thessalonicensis, Demetrij Chalcondylæ Athenienſis, Georgij Trapezuntij et Marci Musuri Cretenſium, & ante hos Emanuëlis Chryſoloræ, qui in Germania tempore Conſtantienſis concilij obijt, reſtitutæ ſunt.

Nunc verò, & Athenis, & in reliqua Græcia, planè frigere ſtudia veteris Philoſophiæ & eruditioris doctrinæ, & pleroſq; ſacerdotes ac monachos, etiam veterem linguam Græcam ignorare, imò legibus|epiſcoporum alicubi, ne quis veteres poëtas, oratores, philoſophos, aliosúe ſcriptores ethnicos legat, prohibitum eſſe audio.

Diſcunt igitur pleriq; in Scholis Græcè legere tantùm eo conſilio, vt ὡρολόγιον Græcum, quod latini Breuiarium nominant, ſeu Horarias preces, euoluere poßint, cuius προπάρια, σάσεις, κουτάκια, ἀπολυτίκια, καὶ λοιπὰς ᾠδὰς, eleganti oratione Græca compoſitas, vt noſtri Horas Canonicas, aut Nonnæ Pſalterium, ἀναγινώσκουσι μὲν, ἀλλ' ὀ γινώσκουσι non ſacerdotes ſolùm et monachi, verùm etiam ex vulgo plurimi, qui bonam Religionis partem in harum precum recitatione quotidiana collocant.

Nam & ipſe talem ὡρολογίου ἢ μηνολογίου libellum, diligentißimè lectum & detritum à Cyprio quodam, vulgaris ſolummodò linguæ Græcæ

(quæ

(quæ à veteri non minus, quàm Italica aut Gallica à latina differt) perito, ac triremium fabricæ in armamentario nauali Viennæ præfecto, mihi comparaui. Ex quo, inuocationem & honores sanctorum, ac inprimis Mariæ Virginis cultum superstitiosum, in Græcia hoc tempore non minus, quàm in regno pontificio, vigere animaduerti.

Etsi enim, de veteris & purioris ecclesiæ doctrina & ritibus, aliquantò plus reliquum apud Græcos mansit, vt ex Liturgijs ipsorum, & narrationibus homnium fide dignorum apparet nec Miſsas priuatas absq; communicantibus ab eis celebrari solere, nec vllam in eorum Canone, sacrificij corporis & sanguinis Christi pro redemptione viuorum & mortuorum oblati, mentionem fieri: sed Λογικὴν λατρείαν, preces, gratiarum actiones, laudes Dei, & eleëmosynas in vsus pauperum præcipuè offerri, vt verba Canonis sonant: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν, καὶ ἐν πᾶσί σε δοξάζομεν, σε εὐλογοῦμεν, σοι εὐχαριστοῦμεν καὶ ἱκετεύομεν σε κύριε ἡμῶν: præterea integrum sacramentum, seu vtramq; speciem, populo etiam distribui, & maritos à sacerdotio non arceri &c. tamen alioquin omnia non minus quàm apud Pontificios superstitionum plena esse intelligo.

Magna

Magna pars vulgi & sacerdotum, pietatis summam, in cultu Mariæ virginis & imaginum (quas non sculptas, sed pictas solummodò habent) collocat. Nec tantùm intercessione & precibus, verùm etiam meritis et auxilijs Sanctorum confidunt. Ac tetræ & idolatricæ inuocationis, non modò exempla, in eorum templis, quotidiè conspiciuntur, verùm etiam formulæ, in illis ipsis precibus Horologij Græcorum solennibus, in singulis Horis, præscriptæ sunt. vt in Mesonyctico: Σε τὸ ἀπόρθητον τεῖχος, τὸ τῆς σωτηρίας ὀχύρωμα, θεοτόκε παρθένε ἱκετεύομεν, τὰς τῶν ἐναντίων βουλὰς δυασκέδασον, τοῦ λαοῦ σου τὴν λύπην εἰς χάραν μετάβαλε, τὴν πόλιν σου περιτείχισον, τοῦ βασιλεῖ συμμάχισον, ὑπὲρ εἰρήνης τοῦ κόσμου πρέσβευε, ὅτι σὺ εἶ θεοτόκε ἡ ἐλπὶς ἡμῶν. Te inexpugnabilem murum, & munimentum salutis, Dei genitrix Virgo, oramus, inimicorum consilia dissipa, populi tui tristiciam in gaudium verte, vrbem tuam muni, cum rege simul pugna, pro pace mundi intercede, quia tu es Dei genitrix spes nostra. In Matutinis, προστασία φοβερὰ καὶ ἀκαταίσχυντε. μὴ παρίδης ἀγαθὴ τὰς ἱκεσίας ἡμῶν, πανύμνητε θεοτόκε. στήριξον ὀρθοδόξων πολίτειαν, σῶζε οὓς ἐκέλευσας

Βασιλεύειν, καὶ χορήγει αὐτοῖς οὐρανόθεν τὴν νίκην. διότι ἔτεκες θεόν, μόνη ὑπερευλογημένη. Patrona timenda, et Virgo intemerata, ne contemne bona preces nostras, gloriosa Dei genitrix, stabili orthodoxorum Rempublicam, serua quos iussisti imperare, et da illis de cœlo victoriam, quia peperisti DEVM, sola benedicta. Et vsitatissima in Troparijs, quæ singuli è somno mane surgentes recitare iubentur, concluſio est, ἅγιος εἶ ὁ θεός, διὰ τῆς θεοτόκου ἐλέησον ἡμᾶς. Sanctus es DEVS, propter Dei genitricem miserere nostri.

Quanta verò superstitione, non sanctos modò in cœlis viuentes, verùm etiam imagines ipsas colant & adorent, vna hæc, omnium Græcorum ore decantata, precandi formula ostendit, θεοτόκε παντάνασσα, τῶν ὀρθοδόξων καύχημα, αἰσχυνόμενον τὰ φρυάγματα καὶ τὰ πρόσωπα καταίσχυνον, τῶν μὴ προσκυνούντων μηδὲ τιμώντων, πάναγνε, τὴν σεβάσμιον εἰκόνα σου. DEI genitrix, omnium regina, orthodoxorum gloria, hæreticorum fastum & facies confunde, non adorantium neq; colentium, tota sancta, venerandam imaginem tuam.

De Ili-

De iustificatione, Basilij sententiam multos in ore habere, intelligo: quæ in homilia de Pœnitentia, extat, eadem pagina, vbi de filio prodigo celebrem illam vocem edit: μόνον θέλησον, καὶ θεὸς προφθάνει. Tantùm velis, & DEVS præoccurrit. τὶ δίκαιον παρὰ τῷ δικαίῳ θεῷ; ἢ τῶν ὀλίγων μνημονεῦσαι, ἢ τῶν πολλῶν ἐπιλανθάνεσθαι: ἔσω ζυγὸς, καὶ ὧ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν. εἰ πλείονα τὰ ἁμαρτήματα, ἔσω ἁμαρτωλός: εἰ δὲ πλείονα τὰ δικαιώματα, ἔσω δίκαιος. Quid iustum est apud iustum Deum? paucorum meminisse, aut multorum obliuisci? Appendantur lances, & qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis. Si plura peccata erunt, iniustus erit: Sin plura bona opera, iustus sit. Quæ vox, doctrinam de fide, in solius Christi, pro nobis passi et resuscitati iusticia acquiescente, abolens, & ad desperationem miseras conscientias adigens, ostendit, legalibus & philosophicis opinionibus doctrinam Euangelij propriam de gratuita remissione peccatorum, & iusticia fidei, statuentis, se propter vnam & solam Filij Dei mediatoris interceßionem & meritum, à Deo recipi & saluari, apud eos obscuratam esse. Et in vniuersum, à Scholasticæ Theologiæ sententijs, multos

hac ætate non abhorrere, inde apparet, quod Thomæ Aquinatis scripta, & summam præcipuè, in Græcum sermonem conuersam, magna cum subtilitatis & acuminis disputationum illius admiratione, studiosè legunt.

Intelligo & opiniones de applicatione sacrificij Missæ pro viuis & defunctis alicubi inoleuisse, & pecunia Missas emi, ac Basilij liturgian duobus aureis, Chrysostomi verò paucis denarijs redimi.

Multò autem purior & splendidior cæteris est Basilij CANON, illustri oratione pro omnibus beneficijs, inde vsq; ab exordio mundi ecclesiæ collatis, ac imprimis pro Redemptione generis humani, per filium Dei pro nobis natum, passum, mortuum & resuscitatum facta, gratias Deo agens, & verba institutionis Cœnæ, quam ἀνάμνησιν suorum beneficiorum esse voluit, recitans; & propositis muneribus panis & vini à populo oblatis, petens, vt hæc ἀντίτυπα corporis & sanguinis Christi à Deo consecrentur, ac vt participantes dignè accipiant, et misericordiam ac gratiam coram DEO in cœtu omnium sanctorum patrum, prophetarum, apostolorum, Mariæ virginis, Iohannis Baptistæ, &c. inueniant. Deinde sacrificium precum offerens, pro ecclesia Catholica, pro ijs, qui obtulerunt eleëmosynas, pro imperatore, pro omni

omni populo, pro Repub. pro archiepiscopo, omnibus ministris ecclesiæ, pro fœcundis tempestatibus, pro extirpatione hæresium & schismatum, denique vt omnes, vno corde & ore, Deum patrem, filium & spiritum sanctum, in omni æternitate celebrent. Hac solenni precatione finitâ, et præmissis litanijs, ac precatione Dominica, OMNES communicant, & dum reliqui panes ac eleëmosynæ à populo oblatæ in sacrarium deferuntur, gratias Deo solennibus verbis Diaconus & populus agunt. Nec vlla omnino offerendi in hac liturgia corporis & sanguinis Christi, multò minus redimendi hoc opere viuos & mortuos, aut pro alijs applicandi, mentio fit.

Chrysostomi verò Liturgiæ, etsi crebrius oblationis meminerunt: tamen non de propitiatorio, aut ceremoniali corporis ac sanguinis Christi, sed de eucharistico precum & laudum ac eleëmosynarum sacrificio præcipuè loquuntur: Offerimus tibi rationalem hunc & incruentum cultum, & inuocamus, & supplicamus, & offerimus tibi pro patriarchis, prophetis, apostolis, euangelistis, pro virgine Maria. προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν λατρείαν pro orbe terrarum, pro sancta ecclesia, pro nostris regibus, & exercitu illorum &c. sicut Tertullianus ad Scapulam inquit: Sacri-

 ficamus

ficamus pro salute Imperatoris, DEO nostro & ipsius, quomodo præcipit Deus, pura prece.

Extant autem aliquot formæ Missarum Chrysostomi dissimiles: Græca ab Erasmo conuersa: & alia ante annos 400. Constantinopoli sub Emanuële Comneno, Caliohannis filio Imp. à Leone Tusco diuulgata, quæ in canone, λογικὴν λατρείαν pro fideliter dormientibus, pro patribus et auis nostris, interuenientibus patriarchis, prophetis & omnibus sanctis offert. & precationibus, alicubi nomen Chrysostomi additum habet. Vnde cætera non omnia eidem authori adscribenda esse facile aliquis ratiocinetur. Dissentit etiam ab his formis, ea, quam Ambrosius Pelargus conuertit, qui aliam adhuc in Bibliotheca pontificia, ab omnibus his discrepantem, extare testatur. Quæ varietas liturgiarum, falsò eas Chrysostomo tribui, & haud dubiè eius ætate multò puriorem ac sinceriorem adhuc liturgiæ formam fuisse, manifestè demonstrat. Nam & Dionysius, quem Areopagiten vocant, quemq; non multis annis Chrysostomi ætatem anteceßisse, Erasmus etiam coniectat, cùm diligentißimè omnes suo tempore ritus in ecclesia vsitatos recitet, nullam prorsus oblationis aut sacrificij pro mortuis mentionem facit. Recentiores etiam formæ, etsi mortuorum animas in requie & luce

luce vultus diuini collocari petunt: tamen oblationem pro Animabus ex igne purgatorio liberandis nullam faciunt. Et quanquam tria loca discedentium ex hac vita Græci discernunt: Eorum enim, qui piè vixerunt & in Domino mortui sunt, animas beatas rectà in cœlum transferri: Impiorum verò, qui sine pœnitentia obierunt, rectà ad inferos detrudi docent: Eos autem, qui in fine vitæ primùm ad Deum conuersi sunt, alio in loco, media conditione inter beatos & damnatos, collocant: vnde eos eleemosynis & precationibus viuorum liberari sentiunt: tamen hunc locum, IGNEM Purgatorium non appellant.

In Baptismo tertiam personam in pronunciatione verborum vsurpant: Baptizetur seruus Christi, in nomine patris & filij & spiritus sancti: & totum hominem in aquam immergunt. Maritis sacerdotio fungi concedunt, sed monogamis duntaxat. Digamos enim, iuxta Canonum præscriptum ab officio suspendunt. Coniugium verò intra septimum consanguinitatis & affinitatis gradum, & in secundo genere affinitatis intra quartum, in tertio, intra secundum gradum contrahere legibus interdictum est. cuius vetustæ prohibitionis etiam in c. Nullum. 35. q. 3. indicia extant.

Sed hæc de doctrina & ritibus ecclesiarum

in Græcia dixisse sufficiat. Nam de processione Spiritus sancti, de pane azymo, de momento consecrationis, de Romani pontificis primatu quem Græci non agnoscunt, & de cæteris, quæ in Synodo Ferrariensi & Florentina, ante 130. annos disputata, singuli in Actis Conciliorum legere possunt, nihil in hac temporis angustia dißeri à me, ad alia properante, hoc loco commodè potest.

In ASIA verò, multò quàm in Græcia tristior vastitas, per Saracenos et Turcos facta est, qui non solùm ecclesias et scholas, verùm etiam urbium florentißimarum, quæ hospitia ecclesijs & doctrinæ studijs olim præbuerunt, ædificia deleuerunt. Niceam, vbi Symbolum fidei nostræ, quod Nicenum appellamus, conditum est, & vicinam ei Nicomediam, & Cæsaream, D. Basilij episcopi doctrina & eloquentia illustratam, & Antiochiam Syriæ, vbi Christiani primùm nominari cœperunt, aliasque urbes plurimas, quæ olim populosißimæ, & doctrina religionis ac potentia celeberrimæ fuerunt, nunc cadauera urbium, & ἐρειπια, veteris magnificentiæ & amplitudinis vestigia tantùm ostendere intelligo. Paßim tamen inter multitudinem Mahometicam, ecclesiæ Christianæ, (vt in vindemia non vbere, vnus & alter botrus,) sed dogmatum & rituum dißimilitudine & varietate

quadam

quadam differentes, & sectis dissectæ, in toto Oriente reliquæ sunt. Ex quibus, Syri, & Georgiani veterem Iberiam & Albaniam incolentes: quos ad boream Caucasus; ad occasum Colchi (Mengrellios hodie nominant, Trapezuntinis finibus propinquos) ab ortu, mare Caspium; à meridie, Armeni ambiunt: in octodecim episcopatus, qui vni Catholico seu Patriarchæ parent, distributi, Græcorum doctrinam & ceremonias in vniuersum sequuntur. ac Syri, Liturgiæ suæ authorem D. Basilium laudant. Sed sanctorum commemoratio, in quorum interceßione latêre & per eos ad Deum accedere cupiunt, aliquantò impudentior, & oratio pro mortuis prolixior est, nec tamen vlla sacrificij corporis & sanguinis Christi pro defunctis ex purgatorio liberandis mentio fit.

Armeniorum, qui à finibus Cappadociæ & Ciliciæ, in qua, Terassa S. Pauli patria, Tarsus olim appellata, hodie floret, vsq; ad Iberiam, mare Caspium, Mediam & Aßyriam longißima terrarum spacia occupant: Religio & ritus, nostris etiam hominibus, qui Vilnæ in Lithuania, aut Leopoli Rußiæ, vbi templa Armeni propria habent, negociationem exercent, non ignoti sunt. Hi quoq; ecclesijs suis proprium Patriarcham Christianum, quem Catholicon nominant, præfectum habent: nec

in sacris alia quàm ipsis vernacula & vulgo nota lingua vtuntur. Quem morem Ruthenos, ac Moscouitas, & Moldauos, aliasque gentes, Byzantino Patriarchæ subiectas, & alias in Oriente & Africa ecclesias Christianas, hodie etiam seruare scimus.

Vbiq; autem extat forma Liturgiæ Armeniorum, in qua, etsi multa cum Christi institutione & nostris ritibus congruunt: omnibus enim integrum sacramentum distribuitur: nec vlla, sine distributione sacramenti, Missa celebratur: nec sacerdotes mariti ab administratione sacri arcentur: tamen inuocationis & intercessionis sanctorum, & oblationis sacramenti pro alijs, expressior & prolixior, quàm in veteribus Græcorum Liturgijs mentio fit. & in Symbolo, verba quædam, nec Græcis nec Latinis vsitata, sed tamen pie sententiam Symboli declarantia, intexunt. & Formula verborum, quibus sacerdos communicans vtitur, cæteris dissimilis est.

Passim etiam in Syria & Perside, ac toto Oriente, Nestorianorum Ecclesiæ, vni Patriarchæ, quem Iacelichum appellant, obedientes, sparsæ sunt. Et ad montem Libanum, Syri Maronitæ, quos olim Monotheletas, nunc solos fere in Asia latinæ ecclesiæ conformes esse referunt.

Multò

Multò autem latius, in Asia & Africa, Iacobitæ propagantur, à Iacobo Syro nomen ducentes, qui circa annum Christi 550. singulari acumine ingenij, & eloquentia excellenti, pro Eutychis & Monotheletarum doctrina, de vnica post vnionem in Christo natura acerrimè propugnauit. Verùm Patriarcha Antiochenus, qui ecclesijs in Syria & reliquo Oriente olim præfuit, nunc in solitudinem ferè redacta Antiochia, nec vllo Christianorum templo ibi reliquo, in vrbe Damasco, ad S. Mariæ ædem, nostra ætate habitat. Summum enim & augustißimum S. Iohannis Baptistæ templum, Turci anno 1516. Syria Ægyptoq; subacta, & ante hos Saraceni, occuparunt.

IEROSOLYMITANO Patriarchæ, qui hoc tempore præest, Germano nomen esse, ac in ipsa vrbe Ierosolyma, circiter decem Christianorum Templa supereße audio. Cathedrale ad S. sepulchrum, cui Patriarchæ sedes contigua est, circa quod singularum ferè Christianarum gentium aliqui sacerdotes aut monachi habitãt, qui suis aduenientibus patrio ritu rem diuinam faciunt. His anno 1516. exeunte, Selymus Imp. Turcicus, Campsone Syriæ ac Ægypti rege ad Singam cæso, & cum exercitu ex vrbe Damasco per Ierosolymam in Ægyptum proficiscens, clementißimè conseruatis, munera etiam ut viris

viris probis et religiosis benignè largitus est. Verùm claues Templi custodiunt Turci, qui à singulis peregrinis sepulchrum Domini ingreßuris quinq; ducatos exigunt. Alterum est ἁγίας ἀναστάσεως & S. Saluatoris templum, quod Armeni tenent. S. Michaëlis, quod à monachis Georgianis incolitur. S. Iacobi, S. Teclæ, Iohannis Baptistæ, Georgij, Demetrij, Catharinæ, & radicibus montis Sionis contiguum, quod latini monachi, familiæ Franciscanæ, poßident.

Gazam urbem amplam & populosam, vni adhuc Ecclesiæ Christianæ hospitium præbere, illiusq; episcopum se à cognato suo patriarcha Ierosolymæ electum esse, Theßalonicensis ille Michaël Libadarius, cuius paulò antè mentionem feci, narrabat. Et in oppido BETHLEHEM, quindecim domus Arabum, & totidem Christianorum Iacobitarum hoc tempore conspici, & ab his templum Christianum, eo in loco, vbi Maria virgo Christum peperisset, adhuc teneri, addebat.

Præcipuè autem in Ægypto & contiguis Ægypto amplißimis Æthiopiæ regnis, Christiani Iacobitæ, longè lateq; propagati sunt: Qui Eutychis & Dioscori Alexandrini doctrinam de Christo, ex duabus, non in duabus naturis subsistente, à Iacobo Syro & Iohanne Philopono, circa annum Christi

550.

550. acerrimè defensam, sequuntur. Hi infantes primùm circumcisos baptizant, & cùm scriptum sit, Christum Spiritu sancto & igni baptizaturum esse, candenti ferro signum crucis, frontibus aut genis baptizatorum inurunt. Ac in urbe ALEXANDRINA, quæ Patriarchæ Ægyptij domicilium, studijs doctrinæ, populi frequentia, ecclesiarum multitudine florentißimum olim fuit; nunc veteris amplitudinis ruinas & ἐρημίαν ostendit: tria tantùm templa Christianorum reliqua sunt, quorum duo, ad S. Marcum, & S. Michaelem, Iacobitæ: tertium ad S. Sabam, Calogeri καλοὶ γ ἡγοὶ monachi Græci inhabitant. præterea in curijs mercatorum Catalana, Genuensi, Venetâ, singuli sacrificuli Missas quotidie in ædium illarum sacellis celebrantes, tolerantur.

ALCAIRI verò, quæ omnium totius orbis terrarum amplißima & populosißima urbs esse, & aliquot millia templorum, Mahometicæ religioni dicata, continere dicitur: Alexandrinum Patriarcham hoc tempore habitare, & tribus solummodò ecclesijs, ad S. Mariæ, ubi cum Christo infante, Herodis sæuitiem effugiens, hospitio Aphrodisij usa, latuerit: ad S. Nicolai, ubi ipse Patriarchæ domicilium habeat: & ad S. Georgij, præesse Græcus ille referebat. cuius sermones confirmant, qui

patriar-

patriarcham Alexandrinum Ioachimum senem venerandum in aula Turcica Constantinopoli recens viderunt, & cum eo locuti sunt. & ex Damiani à Goës, de Religione & fide Æthiopum libello, cognitione dignißimo, constat, Æthiopicarum ecclesiarum in Præteioannis imperio Patriarcham summum, ex Alexandrini Patriarchæ collegio eligi, & ab Alexandrino hodie etiam confirmari.

Fuit autem auorum adhuc memoria, antequam Selymus Turcorum Imp. Mamaluchis delctis Ægyptum anno Christi 1517. occupauit, Baptismus in tota ferè Ægypto à Mamaluchis vsurpatus, qui etsi non veræ pietatis studio & amore salutis æternæ, sed vt succedere in dignitatibus & officijs parentum liberi possent, baptizari eos à Christianis sacerdotibus curabant: (lege enim constitutum fuit, ne præter Mamaluchos, qui fide Christiana primùm imbuti, deinde eam abiecissent, quisquam ad honores & præfecturas admitteretur) tamen hac ipsa occasione multos infantes baptizatos, magnam ecclesiæ Christi partem fuisse, non dubium est.

Vltra Ægyptum & Syenen, quam hodie Guageram incolæ appellant, Tropico Cancri subditam, in latißimis ÆTHIOPVM regnis, Æquinoctiali subiectis, paßim Ecclesiæ Christianæ florent.

Quarum

Quarum fundamenta primùm ab Eunucho Candaces reginæ Æthiopum, quem Philippus baptizauit, et à Matthæo et Bartholemæo Apostolis, iacta esse, ipsi earum Doctores testantur.

Maximum autem in ea Africæ parte imperium, quadraginta & amplius regna minora complectens, tenet potentissimus monarcha, quem incolæ Belulgian: nostri corrupta voce, Pretegian, vel Priester Iohann appellant. Qui ex professo Religionem Christianam colit, & patrum nostrorum memoria ad Sixtum IIII. et postea ad Clementem VII. legatos misit, qui literas Clementi inscriptas, Bononiæ, præsente Carolo V. Imp. anno 1530. mense Ianuario exhibuerunt, & de Prætegiannis pietate & amore religionis et Ecclesiarum, Christi doctrinam in Europa profitentium, & studio amicitiæ & coniunctionis cum ipsis tuendæ, prolixè testati sunt. ac multa, nostros homines, non solùm de Prætegiannis aula, copijs, apparatu bellico, rebusq; gestis, & illarum gentium moribus, verùm etiam de Ecclesiarum conditione, & sacrorum ritibus docuerunt. quos cum nostris magna ex parte congruere, ex editis etiam Liturgiarum formis, in Æthiopia visitatis, tùm ea, quam Canonem vniuersalem nominant, tùm altera, quam Franciscus Aliares, in legationis suæ commentarijs descripsit, cognoscere

scere singulis licet. Nam & Epistolam, & Euangelion, & verba Consecrationis, sine eleuatione, lingua populo nota retinent, & omnibus, qui sunt in ecclesia, sacramentum sub vtraq; specie sacerdotes monogami distribuunt. His, in toto Præteioannis Imperio, vnus Patriarcha præest. qui ab Alexandrino, vt dixi, confirmatur, & inter cæteras suæ gubernationis curas, multos suæ gentis homines, quos in vniuersum Abbasinos nostri appellant, Ierosolymis assiduè alit & quotannis impenso viatico aliquos eò mittit, qui de rebus Christianis certò explorata & cognita in patriam referant. Hi Romam religionis causa interdum expatiantur, vbi in Vaticano proprium cum domo delubrum habent, ac patrio ritu sacra celebrant. Cum his Præteioannis subditis se Ierosolymis lingua Saracenica locutos esse, ac quæ nunc recito, cum Sabellici etiam & Iouij historiæ scriptorum narrationibus congruentia, coràm se ex eorum sermonibus cognouisse, duo viri fide digni nobis Viennæ exposuerunt. & Damianus à Goës, ea, quæ de fide, religione ac moribus Æthiopum commemorat, se ex ore legati Præteiohannis ad Lusitaniæ regem anno 1534. Lysibonæ didicisse testatur.

Sed plura de Africanis Ecclesijs, ac de Mahometicæ etiam blasphemiæ dogmatis & ritibus, qui

qui totum litus Africæ à Peluſio vſque ad columnas Herculis, & Feſam, Mahometicæ Academiæ ſedem, Salæ fl. impoſitam, Nicolai Clenardi etiam, qui literas Arabicas anno Chriſti 1540. ibi didicit, epiſtolis celebratam; & totum ferè Orientem, Turcico ac Perſico Imperio ſubiectum occupauit: ex publicis hiſtorijs, & Alcorano ipſo, ac refutationibus Baſileæ coniunctim editis, ſtudioſi cognoſcent. Quos, ſi diſſimilitudine editionum Alcorani offendentur, illud moneo, quod ex Iacobo Palæologo Græco, Pragæ didici, libros vnde illæ tranſlatæ ſint, non ipſum Alcorani contextum, rythmis Arabicis conſtantem, ſed paraphraſes Alcorani, maiori verborum copia, à diuerſis interpretibus inſtitutas, continuiſſe.

Nunc in PANNONIAM, vnde paulò antè in Græciam & Aſiam digreſſi ſumus, redeo. Quæ regis Matthiæ temporibus adhuc, florentiſſimum orbis Chriſtiani regnum, à monte Cecio ferè ad Pontum Euxinum pertinens, in ſeptuaginta duos comitatus diuiſa, triginta duas epiſcoporum Chriſtianorum ſedes complexa eſt. Nunc, tota ferè inferiore Pannonia inter Arabonem et Sauum, quæ plurimos Imperatores Chriſtianos & alios, Valentinianum, Gratianum, & ante hos Conſtantium Chlorum, Conſtantini magni patrem, Iouia-

num, Aurelianum, Probum, Decium etc, olim genuit: horribiliter per Turcas vastata, & in solitudinem ferè redacta: & Mysia superiore ac inferiore, et Illyrici parte (in qua oppidi Sdrigno, D. Hieronymi ortu celebrati, vestigia adhuc extare audio) & trans Danubium, maxima Daciæ parte, auulsa: angustis sanè & passim interruptis finibus continetur. Et tamen in his ipsis regni Pannonici ruinis, æternam sibi ecclesiam Deus, per ministerium puræ euangelij doctrinæ & sacramentorum, colligit, non in ea tantùm parte, quæ nostro Imperatori Maximiliano paret, ab ostio Morauæ ad longissima montis Carpathi iuga, in Transyluaniam vsque porrecta: & trans Danubium circa fluuium Arabonem, (quæ S. Martini patria fuit, cuius ἐπώνυμον montem, arce & sepultura S. Stephani primi Vngariæ regis Christiani insignem, ex ciuitate Raba, quæ nostro tempore Imperij Christiani & Turcici limes est, et à fortissimo heroë, Eccio comite à Salma defenditur, & euangelici pastoris voce de Deo, et æterna salute eruditur: conspeximus) et circa Pisonis lacum, uberibus agris, nobilibus vineis, oppidorum frequentia, & vetustissima ac regia vrbe Odeburgo illustrem, in qua pastorem & senatum ac ciues veræ doctrinæ studiosissimos ipsi coràm cognouimus: verùm etiã in ipsa vrbe Buda, duobus Christianis

stianis concionatoribus pontificio & Lutherano, locum in publico templo à Turcis concessum esse, ex Lazaro Suendio & alijs fide dignis audiui.

* Sunt autem in citeriore hac Vngariæ parte, monti Carpatho finitima, multæ Ecclesiæ, puritate doctrinæ, disciplinæ seueritate, populi in ornando ministerio frequentia, assiduitate, reuerentia, & rituum grauitate, Dei beneficio florentes, et in Domino nobis coniunctæ, præcipuè in vrbibus metallicis, & in Cepusiensi tractu, et Transyluaniæ parte præcipua, quam Saxones incolunt: in qua, Ecclesiæ & Scholæ eruditissimi viri Iohannis Honteri Coronensis, (cuius Cosmographicos libellos carmine scriptos, & elegantibus tabellis Geographicis ornatos, sæpe vobis commendaui) pietate, doctrina & sapientia præclarè constitutæ: et postea Valentini Vuegeneri, cuius Catechesis, Græco sermone, piè, grauiter & copiosè scripta extat, eruditione et fide illustratæ sunt. Etsi autem nunc Blandratæ et furiarum cum eo conspirantium blasphemijs, Ariana certamina renouantibus, non leuiter Ecclesiæ Transyluanicæ perturbantur: tamen in vera & orthodoxa doctrina Deo iuuante firmi & stabiles permanent, ac Doctores pietate, doctrina, constantia et zelo singulari lupos ab ouilibus suis arcentes, benignè & constanter fouent.

Pro hac immensa Dei bonitate & clementia, quòd ruentibus regnis & furentibus hæreticis, hæreditatem filio suo æternam seruat: sicut in diluuio, cum ædificia omnia aquis obruta essent, tamen Arcam, quæ Noham & Dei ecclesiam vehebat, incolumem conseruauit: toto pectore ipsi gratias agamus.

In BOEMIA, quam bis in hoc itinere peragraui, Ecclesiæ duabus hoc tempore appellationibus præcipuis notari solent. Aliæ enim, Pontificia omnia sine vlla exceptione, retinentes, SVB VNA: aliæ, Iohannis Hußi doctrinam secutæ, & Basilienſis Synodi tempore pontificijs rursum coniunctæ, & permißu pontificis in cœna sacra populo quoq; calicem distribuentes, verùm in doctrina & ritibus cæteris ferè omnibus, pontificijs conformes, SVB VTRAQVE nominantur. Ab vtrisq; seiuncti & velut catharmata & peripsemata excommunicati olim fuerunt Fratres, quos Vualdenses & Picardos & Boleslauienses vulgò appellant, qui se veros & constantes ac germanos Iohannis Hußi discipulos, & doctrinæ ab ipso acceptæ fidos custodes esse profitentur. Extant autem, Confeßio fidei, & Apologia doctrinæ Fratrum, publicè editæ. & cum duobus ecclesiæ eorum præpositis Viennæ, mandantibus dominis meis Procerum

Austriæ

Austriæ delectis, ego & collega meus, de singulis Christianæ religionis partibus, ordine collocuti sumus. ac tùm ex scriptis editis, tùm viua eorum voce comperimus, eos, de omnibus ferè articulis, eandem sententiam, cum fundamento Prophetarum & Apostolorum congruentem, quam & nostræ ecclesiæ, vna voce & vno spiritu, cum catholica ecclesia Christi profitentur, piè amplecti & confiteri, & à fanaticis opinionibus cum verbi diuini norma pugnantibus, & iudicio veræ ecclesiæ damnatis plerisq; abhorrere. Nam quòd, qui sunt sub vtraque, & alij, Donatistarum errorem ipsis obiiciunt, quòd ecclesiam suis cœtibus tantùm definiant, & ministrorum, qui moribus sunt vitiosis, inefficax esse ministerium, doceant: id constanter pernegant. tametsi hos ab officio remoueri, et excommunicari oportere, sentiunt. Coniugio nemini interdicunt, sed tamen ministerio fungi cœlibes castos volunt, vt commodius ac expeditius ecclesiæ seruire queant, ac vt auditores, qui elecmosynis suis, præpositos alunt, minus onerentur. De Eucharistia sententiam suam in Apologia D. Georgio Marchioni Brandeburgensi exhibita, satis commodè exponunt, ac in publicis etiam scriptis & cantilenis, panem & vinum cœnæ Domini, verum Christi corpus & sanguinem esse, apertè profitentur: tametsi disputationem

nem de generali omnipræsentia ab hoc loco remouendam esse censent. Iterationem Baptismi olim vsurpatam, et communionem paruulorum: ijs, qui sub vtraq; sunt, adhuc passim in Boëmia vsitatam omittunt. Disciplinam honestissimè & seuerissimè regunt. In sacris suis nulla alia, quàm populo nota lingua vtuntur, ac etiamsi aliquot linguarum peritos & doctos viros suis cœtibus præfectos nostra ætate habent: tamen vt à sophistarum & monachorum contagijs longissimè abesse viderentur: paulò antè ne literarum quidem & artium liberalium studia coluerunt. ac multis in locis hoc etiam tempore ministri, latinæ linguæ planè ignari, sed vitæ honestissimæ, et in scripturis diligentissimè exercitati, ecclesijs eorum præsunt. Pontificios ritus vel per se impios vel alioquin ad ædificationem veræ pietatis & disciplinam inutiles, planè exploserunt, & ad primæ ac Apostolicæ ecclesiæ simplicitatem et grauitatem, totum ordinem concionum, lectionum, precum, cantilenarum (quas sanctissimis sententijs, selectissimis verbis, & elegantissimis numeris compositas, nuper Cæsareæ maiestati publicè dedicarunt,) & cæteras ceremonias omnes reuocarunt. Templum eorum nitidissimè ornatum, hoc ipso, quòd nihil accersiti ornatus habebat, Trebizæ in Morauia vidi. Etsi autem

Fratres

Fratres isti, per probrum et ignominiam, se Vualdenses & Picardos ab aliquibus vocari ostendunt: et nominis Picardorum originem, à Iohanne quodam ex Picardia Galliæ orto, qui Platonicam communionem facultatum & vxorum, in Boëmia inchoarit, eaq; de causa cum suo agmine, per Ciscam deletus sit, extitisse, vnus ex fratrum doctoribus mihi scisciranti respondit: tamen collatis historijs, & ex aliorum eruditorum, cum quibus Pragæ, de Hußi negocio, contuli, sermonibus didici, longè antè Hußi tempora communionem vtriusq; speciei in Boëmia aliquibus in locis vsurpatam, et pontificia dogmata, et abusus multos esse improbatos. Cum enim Petrus Vualdus Lugdunensis, à quo Vualdensium appellationem primùm ortam esse, certum est, tyrannide Pontificia, Lugduno cum auditoribus suis, pulsus esset: alij in vicinam prouinciam Narbonensem, alij in Lombardiam, vbi frequentes cœtus & scholas suæ religionis longo tempore habuerunt; alij, ac in his ipse Vualdus, in Picardiam Galliæ, delati sunt. vbi plures collegas & in his præcipuum Hieronymum in Picardia natum, sibi adiunxit, qui Rothomagi, Ambianis, et in vicinia, amplos cœtus symmystarum collegit. Cùm autem per Ludouicum Galliæ regem ex Picardia etiam ejicerentur: in Germania prope Moguntiam &

Francofordiam ad Menum aliquantisper docuerunt. Inde in Boëmiam profecti sunt, vbi duobus ferè seculis ante Hußum doctrinæ suæ semina sparserunt, quæ inde in Morauiam, Poloniam, Sileſiam & huius quoq; Balthici litoris regiones, multis ante Hußum annis, propagata sunt.

Postea primùm anno 1404. ex Anglia, Iacobus profeßione Theologus, & Conradus Cantabrigensis, Vuiclefi doctrina & libris instructi, Pragam venerunt. qui de illius sententijs, publicè in Academia disputare crebrius soliti sunt: panis substantiam in Eucharistia non mutari: ritum confirmationis, leuem ceremoniam et in scripturis non traditam esse: Confeßionem arcanam sacerdoti faciendam, ab Innocentio præceptam, non adeò necessariam esse, vt ipse definit: Ordinatione episcoporum non fieri sacerdotem, sed sancta vita, testificante, eum ex Deo natum esse. Papam esse Antichristum. Prælatos Cæsareos, varios Monachos, vanos Canonicos & fratres mendicantes, non esse membra Christi sancta, nisi ante mortem, animo saltem deserant acceptam stolidè sectam suam, & Christi sectam liberè induant. Sacerdotibus & Clericis tempore legis gratiæ, non licere prædia & fundos dominio ciuili poßidere. Clericis Antichristi & alijs notoriè delinquentibus, bona et eleëmosynas ecclesiæ

eripiendas

eripiendas esse, & excommunicationem ea de caussa illatam contemni debere. Ad verum seculare dominium requiri iusticiam dominantis, &c.

Hæc dogmata, annis 40. ante, sub patrocinio & tutela Eduardi III. Vuiclefus in Anglia, & viua voce, et scriptis dialogis, quorum libri quatuor adhuc extare dicuntur, acerrimè defenderat. ac, mortuo Eduardo, ex Anglia pulsus, in Boëmia aliquamdiu apud Matthiam Parisiensem, cuius de abominatione seu Antichristo liber prolixus citatur, quem eundem esse arbitror, qui sub Iohannis Hußi nomine excusus est; latitauit. Vnde tamen in Angliam reuersus anno 1387. ex hac vita discessit. Huius igitur Vuiclefi discipulis Pragam venientibus, IOHANNES HVSSVS magna cum ingenij, doctrinæ & eloquentiæ admiratione in schola & pro concione docens, & vitia seuerè arguens, à populo & clero amabatur. Postea cùm in sacerdotum & pontificum libidines, auaritiam, prophanitatem, pari zelo inueheretur, & sacerdotum munus esse, concionari & docere, non politico imperio dominari, & Imperia, ditiones & principatus possidere, et non fungentibus suo officio, aut morum turpitudine pollutis, auferri eleëmosynas Ecclesiæ, & alijs idoneis attribui, aut in alios vsus pios conferri debere affirmaret: et disputa-

tiones de ficta conuersione panis, de discrimine veræ & falsæ ecclesiæ, ministerij Euangelici & dominationis politicæ, & aliæ ex Vuiclesi placitis, accederent: hîc verò Cleri furijs exarserat atro felle dolor. ac illico archiepiscopus Pragensis Sbinco, edictum, de credenda necessariò panis μετουσίᾳ, & de comburendis publicè Vuiclesi licris proponit. Huic edicto cùm in schola & pro concione Hußus cum suis aduersaretur, certamen atrocius exarsit. quod exorti in Academia Pragensi, eo tempore florentißima, de tribus suffragijs exterarum nationum ad Boëmos transferendis, quod Hußi opera præcipuè à rege Vuenceslao impetratum erat, tumultus auxerunt. Germanis igitur scholasticis Lipsiam migrantibus, vbi Fridericus, qui postea Electoris Saxoniæ dignitatem primus in familiam marchionum Misniæ intulit, sedes eis benignas tribuit, ac sequenti anno 1409. impetratis priuilegijs, Academiæ Lipsensi initium fecit (ex qua, decennio pòst, hæc Rostochiensis Academia, velut colonia, primùm deducta est) atrociora odia, in tota Germania & reliqua Europa, aduersus Hußum, vbique inflammata sunt. Et iam Sbinco Romæ, pontificiam condemnationem dogmatum Vuiclesi, & omnium ea tuentium confecerat: vnà cum interdicto, ne vspiam alibi, quàm in parochiarum templis, populus pro

lus pro concione Pragæ docceretur. Sed Hußus in sacello Bethlehem concionari nihilominus constanter pergit. Ac Hußi paulò pòst Constantiam euocati, & propter confessionem veritatis constantem combusti, vices in docendo IACOBELLVS Misnensis subit, qui vtriusq; speciei communionem publicam Pragæ primus inchoauit.

Fouebat Hußi partes Sophia regis Vuenceslai regina. & ciuitates regiæ ferè omnes, ac multi proceres, Hußi doctrinam, Regi non improbatam, sequebantur.

Itaque Sigismundo Cæsari, qui quadriennio post crematum Hußum, Vuenceslao mortuo, successurus erat, inter cætera etiam hos articulos proponunt: vt verbum Dei à sacerdotibus & Leuitis legitimè vocatis, purè et sincerè vbiq; in regno prædicari: et vtramq; speciem Sacramenti, iuxta Christi institutionem & mandatum à sacerdotibus & cæteris Christianis omnibus, sine discrimine ex æquo sumi: et publica ac manifesta flagitia in quolibet hominum statu legitimè corrigi: et Sacerdotes ac Clericos concionari & docere, non regio more dominari, & ditiones ac prouincias possidere sineret. Quibus postulatis, cùm assentiri Sigismundus nollet, ipse quidem sedecim annos regno caruit. Ordines verò regni, Pragæ Synodo coacta, supremam

inspectio-

inſpectionem Eccleſiarum in Boëmia & Morauia, quatuor Doctoribus in Academia Pragenſi commendant, & regulas Eccleſiaſticas, vt nominant, ſeu ſtatuta, de norma doctrinæ, de ordine gubernationis eccleſiæ, de concionibus, de euchariſtia, de bonis eccleſiaſticis, de peccatis mortalibus ſeuerè coërcendis, de moribus Clericorum & pœnis delinquentium &c. viginti tria condunt, quæ Eccleſiarum ſaluti & tranquillitati in Boëmia & Morauia ſeruirent. Inde bella, continuum ferè decennium, Pontifice Germaniam in Boëmos incitante, ſecuta ſunt: Quæ cum Boëmi, Ciſca duce, cuius monumentum Czaslauiæ vidi, feliciter profligaſſent, tandem Concilij Baſilienſis tempore, ad amicam pacificationem decurſum eſt, in qua, poſt aliquot annorum tractationem, poſtremò quatuor illi articuli, quos Sigiſmundo Cæſari propoſitos fuiſſe dixi, aliquantulum mitigati ſunt, & Boëmis conceſſi, hac tamen conditione, vt in cæteris omnibus religionis Chriſtianæ dogmatis & ritibus, eccleſiæ Romanæ prorſus ſe ſubijcerent, & conformes redderent. Eius pacificationis formula, anno 1436. die quinta Iulij, Iglauiæ in Morauia, ſolennibus literis, quas vſitatiſſima in illis regionibus appellatione Compactata nominant, ſancita & confirmata eſt. Huic conciliationi Iohannes Rochezana (qui eruditione & authori-

authoritate cæteros Hußi discipulos facile anteibat) & omnes ferè proceres ac ciuitates, Hußi doctrinam profitentes, pacis & concordiæ studio aßensi sunt. Pauci alij, & in his Taboritæ, quos Vualdensium doctrinam amplexos fuiße, historiæ testantur, cùm tetros Missarum abusus & sacrificia pro viuis & mortuis, Inuocationem diuorum, cultus statuarum, idolatricum cultum panis circumgestati, & alias superstitiones pontificias planè auersarentur, post longi temporis disceptationes, tandem se à pontificijs & Rochezanæ auditoribus, pontificiconiunctis, quos SVB VTRAQVE hodie nominant, prorsus separarunt. et electis ex suo cœtu Ecclesiæ ministris, proprias congregationes instituerunt. quæ inter varias persecutiones et ærumnas multiplices, huc vsq; in Morauia, Boëmia, Polonia & alibi conseruatæ sunt. et Vualdensium ac Picardorum nomine ab aduersarijs paßim traducuntur. Inter pontificios etiam, et Hußi seu potius Rochezanæ sectatores Boëmos, cum pontifice reconciliatos, malè sarta gratia nequidquam coijt ac sæpe rescissa est: præsertim cum Iohannes Capistranus, (quem Chalcondyles historicus Græcus, Pragam ad Boëmos Apollinem colentes mißum esse refert, vt eos ad religionem Iesu transferret) à pontifice in Boëmiam & Vngariam ablegatus, articulum de communione

nione vtriusq; speciei, à Synodo Basilienſi conceſſum, publicis concionibus impugnaret, cui vehementiſſimè Rochezana reſtitit: & poſtea titulum Regis Boëmiæ, Georgio Pogebradio ademptum, pontifex, Matthiæ Huniadi conferret. Nunc etiam, qui SVB VTRAQVE celebrant, etſi omnia fere pontificia in cæteris articulis retinent, tamen iugo dominationis pontificiæ excuſſo, (quod tamen rurſus imponere illis nouus iſte archiepiſcopus Pragenſis conatur) ex ſenatus eccleſiaſtici PRAGÆ olim inſtituti authoritate, potiſſimùm pendere & regi cupiunt.

Hæc de Eccleſiarum Græciæ, Aſiæ, Vngariæ & Boëmiæ conditione, præfari hoc loco CHRONICI lectioni, quam vſque ad Auguſtum & nati Chriſti tempora deduximus, volui. Nam ea de cauſſa præcipuè ſcribi & extare CHRONICA Deus voluit, vt vbi et qualis ſemper fuerit in mundo Eccleſia? ſciremus.

Quod autem vetus Poëta inquit: Floriſeris vt apes in ſaltibus omnia libant, Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta, Aurea perpetua ſemper digniſſima vita: id alibi dixi ad hunc quoq; libellum CHRONICI Carionis Philippicum rectiſſimè accommodari, in quo verè λογυφὰς ἀπὸ πασῶν τῆς ἱστορίας ἀρετῶν ἔδρεψε, nec res geſtas in

Eccleſia

Ecclesia & Imperijs solummodò nudè narrat; sed sapientißimè accommodat exempla ad regulas, & grauißimis noëmatis ac gnomis & epiphonematis vbiq; intertextis, vsum et applicationem historiarum ad omnia Reipub. consilia & actiones rectè gerendas demonstrat. Vt igitur hactenus in priore Chronici parte, ita deinceps etiam, fontes primos et loca authorum, ex quibus historiæ ac Gnomæ omnes depromptæ sunt, fideliter ostendam. et Ecclesiæ imprimis Christianæ historiam, & dogmatum controuersias, ac earum dijudicationes; diligenter Deo iuuante explicabo. Quem ardentibus votis precor, vt Ecclesiam sibi æternam voce Euangelij, in his regionibus & toto terrarum orbe, immensa bonitate colligat, & veræ de Christo doctrinæ, & optimarum artium, historiarum ac linguarum studia Ecclesiæ necessaria, in hac Sarepta seruet, & nos singulos doceat, gubernet & regat, vt Christo grata, & Ecclesiæ Dei ac Reipublicæ, & animabus nostris salutaria discamus & doceamus.

DIXI.

CAN-

CANDIDO LECTORI.

VEritatem narrationum, superiori Oratione, de ecclesijs Græcis, Asiaticis et Africanis expositarum, confirmant sequentes Epistolæ Patriarchæ Græcorum, & familiarium ipsius, & aliorum, ex vrbe Constantinopoli, partim ad me, partim ad Martinum Crusium, & alios, proximis annis scriptæ. Quas, cùm pijs & ecclesiæ Christi amantibus lectu non ingratas nec iniucundas fore iudicarem: visum est huic orationi adiungere, vt explorate ac certò perspecta & cognita, mihi bonos illos viros, ex quibus Viennæ anno ab hinc vndecimo oretenus ple-

raque

raque sciscitatus sum, commemorasse, lectori constaret. Quem, si ad preces pro illis ecclesiis, à quibus religionem Christi primùm maiores nostri acceperunt, ardentius fundendas excitabo: & simul voluptate non illiberali afficiam: non vulgarem me huius editionis fructum cepisse arbitrabor.

PATRIARCHÆ CONstantinopolitani Literæ ad DAVIDEM CHYTRÆVM datæ anno 1578. mense Maio.

Ιερεμίας ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, νέας ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Σοφώτατε κύριε Δαβὶδ Χυτραῖε, κατηχητὰ τῆς ἀκαδημίας τῆς ἐν τῇ ῥοστοχικῇ πόλει, ἡ κατὰ πνεῦμα τῆς ἡμῶν μετριότητος. χάρις εἴη σοι, καὶ εἰρήνη, καὶ ἔλεος, ἀπὸ θεοῦ παντοκράτορος. ἐδεξάμεθα καὶ τὸ σὸν γράμμα, μετὰ τῶν ἄλλων γραμμάτων, τῶν αὐτόθι σπουδαίων καὶ σοφῶν. καὶ ἀπεδεξάμεθα τὴν ἀγάπην τῆς σὴν, ὅτι συνετάχθης τοῖς φιλοῦσιν ἡμᾶς, καὶ μακρὰν ὢν ἐμνήσθης μὲν καὶ ἔγραψας. ἠυφράνθης δὲ, ὅτι καὶ ἔτι σώζονται ἄνθρωποι, τὴν ἀγίαν τριάδα καὶ ἐννοοῦντες, καὶ γινώσκοντες, ἐν τόποις τοιούτοις, καὶ δόξαν ἔχοντες εὐσεβῆ. ἴσθι δὲ περὶ τούτου, ὅτι εἰ καὶ δουλείᾳ τὸ γένος ἡμῶν ὑπέπεσεν, ἀλλ' εὐσεβείᾳ ἀνένευσε, καὶ μένει κηρύττον τὴν εὐσέβειαν. καὶ ὅσα λέγουσι κατὰ τῆς πίστεως τῆς ἀληθοῦς χριστοῦ, δυνάμεθα λύειν εὐκόλως, καὶ εὐλόγως αὐτοὺς καταπείθομεν. καὶ ὥσπερ οἱ πολεμήσαντες ποτὲ αὐτῇ διὰ πολλῶν τιμωριῶν

καὶ φό-

καὶ φόνων, οὐδὲν ἴσχυσαν, ἀλλ' ἐνίκησεν ἡ πίστις, ἥ τις τοῦ πολέμου μένη νικᾷ, καὶ διαμένει καὶ μέχρι τοῦ νῦν, καὶ ἐλθὼν ὁ κύριος θεὸς εὑρήσει αὐτὴν: οὕτω καὶ νῦν οὐ διαλυθήσεται, ὡς ἐκ θελήματος αὐτοῦ ὑπάρχουσα, ᾧ οὐδεὶς ἀνθίστασθαι δύναται, ἀλλὰ μενεῖ σὺν θεῷ, χάριτι χριστοῦ, καὶ ἐπὶ τοῦ ὀνόματι αὐτοῦ ὑπερνικώντην ἐν διαλέξεσιν εὐσεβείας τὴν τύχα δούλων, τοὺς ἡμᾶς καταδυναστεύοντας, ὑπὸ τὴν ἁμαρτιῶν πάντην ἡμῶν, παραχωροῦντος θεοῦ. οὗ ἡ χάρις εἴη σοι ἀγάπητε. Μηνὶ Μαΐω. ἐν ἔτει ᾳ φ ο η. ἀπὸ Κωνσταντινουπόλεως.

IEREMIAS gratia DEI archiepiscopus Constantinopolis, nouæ Romæ, & vniuersalis Patriarcha.

Doctissime Domine Dauid Chytræe, catecheta Academiæ, quæ est in Rostochiensi vrbe, fili secundum spiritum nostræ mediocritatis. Gratia sit tibi & pax & misericordia à Deo omnipotente. Accepimus & tuas literas, cum aliorum qui

isthic sunt, doctorum & sapientum literis, et amplectimur charitatem tuam, quòd adiunctus es ijs, qui diligunt nos, & quanquam procul absis, tamen meministi nostri & scripsisti. Lætatus es etiam, quòd in his locis adhuc supersint homines sanctam Trinitatem rectè agnoscentes, & religionem Christianam piè colentes. Scito autem, quod etiamsi seruituti genus nostrum subiectum sit, tamen pietate se erigat & maneat prædicans pietatem. Et quæcunq; dicunt contra fidem Christi veram, posumus facile dissoluere, & bona ratione eos refutamus. Et quemadmodum, qui olim bellum ei intulerunt multis cruciatibus & supplicijs, non prævaluerunt, sed vicit fides, quæ et belli robur vincit, & permanet vsque nunc, et veniens Dominus Deus inueniet eam: Sic et nunc non dissoluetur, quia Dei voluntate subsistit, cui nemo resistere potest, sed manebit cum Deo per Christi gratiam, et in nomine eius, vincentibus in religionis disputationibus, nobis fortunâ seruis, eos, qui in potestatem suam nos redegerunt propter peccata omnium nostrum, permittente Deo. Cuius gratia sit tecum ô dilecte. Datum mense Maio, anno 1578. ex Constantinopoli.

PATRI-

PATRIARCHÆ CONstantinopolitani epistola ad Martinum Crusium, doctorem Græcarum literarum in Academia Tybingensi, & theologos, qui de confessione Augustana, quam in Græcum sermonem conuersam, ad illum miserant; iudicium Patriarchæ sciscitati fuerant.

ΤΑ τίμια ὑμῶν γράμματα ἱλαρῷ τοῦ προσώπῳ ἐδεξάμεθα, σὺν τοῦ βιβλαρίῳ τῷ τὴν θρησκείαν τὴν ὑμετέραν περιέχοντι, σοφώτατοι ἄνδρες γερμανοὶ, υἱοὶ κατὰ πνεῦμα τῆς ἡμῶν μετριότητος, ἐκ τῆν χειρῶν τοῦ ἐνταῦθα ἐκκλησιαστοῦ, καὶ τὰ πάντα χρησίμου, κυρίου στεφάνου τοῦ γερλαχίου. Τοίνυν ἡσθέντες, ὡς εἰκὸς, ἐπὶ τῇ φιλοφροσύνῃ τῇ ἐμφύτῳ ὑμῶν, ἔκτοτε ἀπόκρισιν ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ τῆν κεφαλαίων, ἃ πεπόμφατον, γενέσθαι καὶ συγγραφῆναι προστάξαμεν: ἧ φασὶν αἱ θεῖαι γραφαὶ, καὶ ὧν

τῷ θεμελίῳ τῆς ἀκραιφνοῦς ἡμῶν πίστεως: ἣν οὐκ ἄγγελος, οὐκ ἄνθρωπος, ἀλλ' αὐτὸς ὁ κύριος καὶ θεάνθρωπος Ιησοῦς χριστὸς παρέδωκεν ἡμῖν. Επεῖτα δὲ καὶ οἱ θεῖοι αὐτοῦ μαθηταὶ καὶ ἀπόστολοι, καὶ καθεξῆς αἱ θεῖαι καὶ ἱεραὶ σύνοδοι, καὶ οἱ λοιποὶ θεοφόροι καὶ θαυματουργοὶ πατέρες καὶ θεολόγοι ἐξηγήσαντο, καὶ ἡρμήνευσαν: καθὼς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν διαφόροις καιροῖς, καὶ κατὰ τὰς ἀνακυψάσας χρείας, αὐτοῖς ἐνέπνευσεν: ὧν τὰς γραφικὰς μαρτυρίας καὶ ἀποδείξεις, οὐδεὶς τὴν εὖ φρονοῦντιν χριστιανῶν ἀρνήσαιτ' ἄν. Αλλ' ἐπεὶ πολλοῖς ἐνασχολούμεθα τοῖς κωλύμασι, καὶ οὐ ταῖς τυχούσαις φροντίσιν, ὡς καὶ ὑμεῖς συνετώτατοι ὄντες ἐπίστασθε; οὔπω εἰς πεῖρας ἀγαγεῖν τοὔργον ἠδυνήθημεν: εἰ καὶ ἐσχεδιάσθη ἅπαν. ἡνίκα δὲ σὺν θεῷ τὸ πᾶν τελειώσομεν, ἤτοι μετὰ δύο, ἢ καὶ τρεῖς μῆνας, χαριέστατα, καὶ μετὰ πάσης πέμψομεν ὑμῖν τῆς ἀγάπης. ὁ δὲ θεὸς τῆς εἰρήνης, ὁ στερεώσας τὴν ἑαυτοῦ ἁγίαν ἐκκλησίαν ἐπὶ τὴν ἀσάλευτον πέτραν τὴν ἐντολῶν αὐτοῦ, ἀξιώσαι ἅπαντας διὰ πίστεως

ὀρθῆς

ὀρθῆς καὶ ἀληθοῦς, συνεπομένων δηλαδὴ καὶ τῶν ἀγαθῶν ἔργων, τὴν θάλασσαν τοῦ παρόντος βίου διαπεράσαντας, εἰς τὸν εὔδιον καὶ οὐράνιον αὐτοῦ ὁρμισθῆναι λιμένα: οὗ γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν ἐν χριστῷ ἰησοῦ τοῦ σωτῆρι ἡμῶν: οὗ ἡ χάρις, καὶ τὸ ἔλεος, καὶ ἡ εὐχὴ τῆς ἡμῶν μετριότητος, εἴη μεθ' ὑμῶν. ἔρρωσθε. ἀπὸ Κωνσταντινουπόλεως, μηνὶ νοεμβρίῳ ις. ἐν ἔτει ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας ᾳ φ ο ε.

Ιερεμίας ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, νέας ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

SApientißimi viri Germani, filij ſecundum ſpiritum mediocritatis noſtræ. Literas veſtras cariſsimas, vnà cum libello Religionem veſtram complectente, hilari vultu accepimus ex manibus D. Stephani Gerlachij eccleſiaſtæ, iſthinc oriundi, viri optimi. Delectati igitur natiua humrnitate veſtra, tunc ſtatim Reſponſionem ad ſingulos articulos quos miſiſtis, ordine conſcribi mandauimus: congruentem cum ſacris literis, & nitentem fundamento ſinceræ fidei noſtræ, quam non Angelus, non homo, ſed ipſe DOMINVS & Deus homo,

Iesus Christus nobis tradidit. et postea diuini ipsius discipuli et Apostoli, & deinceps diuinæ et sanctæ Synodi, & reliqui à DEO gubernati & miracula edentes patres & Theologi enarrarunt et interpretati sunt. sicut Spiritus sanctus diuersis temporibus, & iuxta emergentes subinde necessitates, ipsis inspirauit. Quorum testimonia et demonstrationes ex scripturis sumptas, nemo bene sentiens Christianus vnquam negauerit.

Sed cum multis occupationibus, et curis non vulgaribus impediamur, ut pro vestra prudentia ipsi cogitare potestis: nondum ad finem deducere opus potuimus, etiamsi totum iam delineatum est. Cum autem, Deo iuuante, totum, post duos aut tres menses absoluerimus: gratissimè et amantissimè vobis transmittemus. Deus autem pacis, qui firmauit sanctam ecclesiam suam super immotam petram mandatorum suorum: dignetur omnes, per rectam et veram Fidem, comitantibus videlicet et bonis operibus, mare præsentis vitæ transfretantes, in serenum & cœlestem vitæ æternæ portum applicare: quem contingat omnibus nobis assequi in Christo Iesu seruatore nostro. Cuius gratia et misericordia, & nostræ mediocritatis preces, semper vobiscum sint. Valete.

Ex Constantinopoli, mensis IXbr. die 16.

Anno incarnationis Filij DEI 1575.

Literæ

Literæ ſcriptæ in monte SINAI, ad Carolum archiducem Auſtriæ, Anno 1569.

τῷ ἐκλαμπροτάτῳ, μεγαλειοτάτῳτε καὶ γαληνοτάτῳ κυρίῳ, κυρίῳ Καρόλῳ ἀρχιδουκι, εὐγενίου ἐπίσκοπος, καὶ καθηγούμενος τοῦ ἁγίου ὄρους σινᾶ, ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Τολμῶν ὁ δοῦλος καὶ εὐχέτης τῆς σῆς γαληνότητος, κυριε μου ἐκλαμπροτατε, καλῶς ἀναφέρω. Τὴν ἐλεημοσύνην τὴν διὰ τοῦ αἰδεσίμου ἐν μοναχοῖς κῦρ μορκουρίου καὶ ἡμετέρου γενικοῦ ἐπιτρόπου, ἡμῖν ὑπὸ τῆς σῆς μεγαλειότητος πεμπομένην, λίαν γηθοσύνως εἰλήφαμεν. ἥπερ ἐτύγχανεν χρύσινοι ἑκατὸν. πρὸς ἀνακαινισμὸν μὲν τοῦ ἀνάκτησιν τῆς ἡμετέρας μονῆς, μνημόσυνον δὲ αἰώνιον τῆς σῆς θεοφρουρήτου γαληνότητος, καὶ τῶν γονέων αὐτῆς. ἀμείψαι τοίνυν κυριός ὁ θεὸς τὸν ἄξιον μισθὸν τῇ γαληνότητί σου, ἔν τε τῷ νῦν αἰῶνι, καὶ ἐν τῷ μελλοντι, εἶεν.

τοῦ παρελθόντι μὲν χρόνῳ, μεγαλειότατε δοὺξ, ὁ μέγας τοῦρκος, ὃς τῆς Κωνσταντινουπόλεως, παραχωρήσει τοῦ θεοῦ, τυραννεῖ, ἅμα ταῖς ὑπ' αὐτὸν πόλεσιν, ἐξέθετο πρόσταγμα κραταιὸν ἐν ὅλῳ τῷ κράτει αὐτοῦ, ἵνα πωληθῶσιν αἱ πρόσοδοι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ πάντων τῶν μοναστηρίων, ἅπερ ἐφόλῳ τοῦ κράτει αὐτοῦ εὑρίσκονται. αὕτη δὲ ἡ πράσις διαμείνειε μόνον ἕως τρίτης αὐτοῦ γενεᾶς. μετὰ δὲ τὴν τρίτην αὐτοῦ γενεάν, μεταπωληθείησαν αὖθις. οὗτος δὲ πεποιηκὼς, δέδεικται ἡ πονηρὰ τούτου γνώμη, ὅτι περ ἀπειλεῖ τελείον ἀφανισμὸν, τῶν τε ἁγίων ναῶν, μετὰ τῶν χριστιανῶν, τῶν ὑπὸ τῇ τυραννίδι αὐτοῦ οἰκούντων.

ἔφθασε γοῦν καὶ μέχρις ἡμῶν, ἡ τοιαύτη ἀπειλὴ, καὶ μεγίστη αἰχμαλωσία. διὸ χρυσίνους χιλιάδας ε δεδώκαμεν. μὴ ἔχοντες δὲ, ἐνέχυρα πάσας ἡμῶν τὰς προσόδους, ἱστράτε καὶ σκεύη ἐθέμεθα, διὰ τὸ ἐπισυνάξαι καὶ ἀποδοῦναι, οὐ χωρὶς ζημίας, ἀλλὰ σὺν τόκῳ, ὥσπερ τοῖς δανεισταῖς εἴθισται λαμβάνειν κατ' ἔτος, μέχρις ἂν καὶ τὸ κεφάλαιον αὐτῶν λάβωσι.

τούτων

Τούτην δὲ τοίνυν οὕτως ἐχόντην, ἡμεῖς οἱ πάπεινοὶ, βεβαίαν ἄλλην ἐλπίδα οὐκ ἔχομεν, εἰμὴ τὸν κυρίον ἡμῶν ἰησοῦν χριστον, τῆς αὐτοῦ τε πανυπεράγνου μητέρα, καὶ τῆς μεγαλειότητα τῆς σῆς γαλυνότητος, μετὰ τοῦ ἁγίου οἴκου τῆς οὐστρίας, ὃς ἡμᾶς τρέφειτε καὶ ἐπικρατεῖ, ἕως τῆς σήμερον, καθάπερ καὶ ἡ σὴ ἐκλαμπρότης ἀκριβῶς ἐπίσταται. ἣν κυριός ὁ θεὸς διατηρῶν εἴη, ἄνοσον, εὔθυμον, πολυχρόνιον, καὶ ἀνωτέραν παντὸς ἀνιαροῦ συναντήματος. χαρίσαιτο δὲ αὐτῇ καὶ τῆς ἐν οὐρανοῖς οὐ ἀεὶ διαμένουσαν βασιλείαν, ἀμὴν. ἐν σιναίῳ τῷ ὄρει. ἔτει ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ χρίστου οἰκονομίας, α φ ξ θ. μάρ. κ.

Illustrissimo & maximo ac serenissimo Domino, D. CAROLO, archiduci, Eugenius episcopus & præpositus sancti montis SINAI, in Domino salutem.

AVdacter, ego seruus & Sacellanus tuæ Serenitatis, domine mi illustrißime, mea tibi studia defero. Eleëmosynam, per reuerendum monachum

nachum dominum Mercurium, & noſtrum generalem procuratorem, nobis à T. M. miſſam, hilari animo accepimus: quæ fuit centum aureorum: ad renouationem quidem & inſtaurationem monaſterij noſtri: memoriam autem Tuæ à Deo cuſtoditæ ſerenitatis ac parentum ipſius ſempiternam. Retribuat igitur Dominus Deus dignam mercedem T. Serenitati, in hoc præſenti ſeculo et futuro, Amen.

Præterito quidem tempore, Dux illuſtriſſime, magnus Turca, qui Conſtantinopoli (permittente Deo) regnat, vnà cum vrbibus ipſi ſubiectis propoſuit Edictum ſeuerum in toto imperio ſuo, vt reditus omnium eccleſiarum & monaſteriorum vendantur, quotquot in ipſius imperio inueniuntur. Hæc autem venditio tantùm vſq; ad tertiam ipſius generationem durare debet. Poſt tertiam autem generationem vendentur rurſus. Hoc cum faciat, malus animus ipſius cernitur, quod minetur totalem deletionem ſanctorum templorum, vnà cum Chriſtianis, qui ſub ipſius Imperio habitant.

Peruenerunt igitur ad nos quoque hæ minæ & triſtiſſima ſeruitus. Idcirco quinq; millia aureorum numerauimus. Cum autem non haberemus, omnes noſtros reditus & ſacra vaſa oppignorauimus, vt tantum colligeremus & perſolueremus, non ſine detrimento, ſed cum fœnore, ſicut fœneratoribus vſitatum

tatum est accipere quotannis usuras, donec sortem recipiant.

Quæ cum ita se habeant, nos miseri firmam spem aliam nullam habemus, nisi Dominum nostrum Iesum Christum, ipsiusq; castissimam matrem, ac T. Serenitatis Maiestatem, cum sancta domo Austriæ, quæ nos alit & sustentat usq; in hodiernum diem, sicut Illustriss. Celsi. T. nouit. quam Dominus Deus conseruet incolumem, tranquillam, longæuam, & superiorem omni casu aduerso. & donet ei Regnum in cœlis perpetuò mansurum, Amen.

Datæ in monte SINAI, Anno ab incarnatione Christi 1569.
Die 20. Martij.

Patriarchæ ALEXANDRINI literæ testim. Alberto comiti à Levvenstein datæ Anno 1561.

Ομολογῶ ἐγὼ Ιωακείμ, Παπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως ἀλεξανδρείας, καὶ λειτὴς ἡ οἰκουμένης: δμοῦ μετὰ τῶ πανοσιωτάτου καθηγουμένου τ' ἁγίου ὄρους

ὄρους σινᾶ: πῶς ἦλθεν καὶ προσεκύνησεν τοὺς ἁγίους καὶ σεβασμίους τόπους: τὸ ἅγιον ὄρος τὸ σίναιον, ἤγουν τὴν ἁγίαν κορυφὴν, ἐν ᾗ ὁ προφήτης Μωϋσῆς τὸν νόμον ἐδέξατο: καὶ τὴν ἁγίαν βάτον, ἐν ᾗ τῆς ἁγίας καὶ ἀεὶ παρθένου προετυπώθη μυστήριον: καὶ τὴν ἁγίαν μεγαλομάρτυρα καὶ πάνσοφον καθαρίνην: καὶ ἅπαντα τὰ προσκυνήσιμα: ὁ ἐντιμότατος ἀρχὸς, Αλμπρέχθος, γρὸφ τζοῦα λεβεστάννι, βαρῶν ἐν Σαρφενέκ. καὶ ὅστις δια γνώσεται τὴν γραφὴν αὐτὴν: δότω αὐτῇ πίστιν, καὶ μηδεὶς αὐτῇ ἀντιστῇ, οὐδὲ ἀντείπῃ, ὥσπερ ἂν εἴη μὴ ἀληθὲς. καὶ εἰς πίστωσιν, καὶ τῆς ἀληθείας ἀσφάλισιν, κάτωθεν ὑπεγράψαμεν ταῖς ἰδίαις ἡμῶν χερσὶ. ἔτει α φ ξ α χριστοῦ: ἀπὸ δὲ ἀδὰμ, ζ ο. δεκεμβρίῳ. κ ς. ἐγράπτη.

Ιωακεὶμ ἐλέῳ θεοῦ πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεος ἀλεξανδρείας.

Fateor

FAteor ego Ioachimus Papa & Patriarcha magnæ vrbis Alexandriæ & iudex orbis: simul cum sanctißimo præside sancti montis Sinai: quod venerit & adorauerit sancta & venerabilia loca: sanctum montem Sinai, videlicet sanctum verticem, in quo Propheta Moses legem accepit, & sanctum Rubum, in quo sanctæ & semper virgnis Mariæ præfiguratum est mysterium: & sanctam magnam martyrem sapientißimam Katharinam & omnia (in his locis) adoranda: Generosißimus Dominus Albertus Groff zu Lewenstein, Baro in Scharpffeneck. Et quicunque cognoscet hanc scripturam, det ei fidem, & nemo ei resistat, neque contradicat, quasi verum non esset. Nos ad confirmationem fidei & veritatis, inferius subscripsimus nostris proprijs manibus.

Datum anno 1561. à Christo: ab Adamo autem 7070. die 26. Decemb.

Ioachimus gratia DEI Papa & Patriarcha magnæ vrbis Alexandriæ.

DE VRBE ATHENARVM, ET LINGVA GRÆCORVM HODIERNA.

Τοῦ σοφῶς καὶ ἀρίστως πεοϊσταμένῳ τῶν θ' ἑλληνικῶν καὶ λατινικῶν μαθημάτων, ἐν τῇ Τυβιγγίᾳ ἀκαδημίᾳ, κυρίῳ Μαρτίνῳ τοῦ Κρουσίῳ εὖ πράττειν.

Ἐναγχος τὰ τῆς σῆς λογιότητος γράμματα κομισάμενος: αὐτὰ μετ' αἰδοῦς ἀναπτύξας, ἥσθην, πῶς δοκεῖς; ἃ δ' ἐπετείλω, καθὼς οἷόντε, ἐποίησα. πῶς γὰρ, ἅπερ ὁ μέγας τῶν Γερμανῶν, κἂν σοφοῖς περιώνυμος κρούσιος, καθικέτευσεν, οὐ ποιήσομαι; Et paulò post.

Γάλαι μὲν, τὸ τῶν Ἀθηνῶν ἄστυ τρίπλοκον ἦν, καὶ ἅπαν οἰκούμενον. νῦν δὲ, τὸ μὲν ἐσώτερον (ὅπερ, ἀκρόπολις: ἐν ᾧ, καὶ ναὸς τῷ ἀγνώστῳ θεῷ) ἅπαν ὑπὸ μόνων ἰσμαηλητῶν οἰκούμενον. τὸ δὲ ἐκτὸς (τὸ ἀναμεταξὺ φημὶ) ὅλον ὑπὸ τῶν χριστιανῶν. τοῦ δὲ ἐξώ-

δὲ ἐξωτέρου (ἐν ὧ καὶ βασίλεια, διὰ μαρμάρων καὶ κιόνων μεγίστων: ἐφ' ὧν τῆς πύλης ἐπιγέγραπται μονόστιχον, καὶ ἔτι σωζόμενον: αἵδ' εἰσ' Ἀθῆναι, θησέως ἡ πρὶν πόλις) τὸ τρίτον, οἰκούμενον. ὅλον δὲ, ἐν ὅσῳ οἱ ἄνθρωποι ὄντες τυγχάνουσιν (ἐξ ὧν ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν χιλιάδες δώδεκα) ἀφ' ἕξ, ἢ ἑπτὰ μιλίων, περιεχόμενον.

περὶ δὲ τῶν διαλέκτων, τί ἂν καὶ εἴποιμι; πολλῶν οὐσῶν, καὶ διαφόρων, ὑπὲρ τῶν ἑβδομήκοντα. τούτην δὲ ἁπασῶν, ἡ τῶν Ἀθηναίων χειρίστη. βουλόμενοι γὰρ εἰπεῖν, ἰδοὺ πίστις, ὑπήνη, καὶ ἑλλήνων δικαιοσύνη: λέγουσιν ἀντὶ τούτων, ἐπᾶ πίσι, ἐπὰ σολὴ, ἐπᾶ ῥωμήϊκὴ κρῖσι. καὶ αντὶ τοῦ σὺ, τοῦ: καὶ πορεύου, σοῦζε: καὶ λίτραν, λούτραν. Οὓς οἱ τὴν ἑλλάδα οἰκοῦντες, καλῶς τὰ πολλὰ φθεγγόμενοι, βαρβάρους τοπαράπαν ἀποκεκλήκασι, τούτους βδελυττόμενοι. ὥστε πεπονθέναι τοῖς πάλαι κατὰ διάμετρον.

Εν δὲ τῇ θεσσαλονίκῃ καὶ βυζαντίῳ, καὶ ἐν Πελοποννήσῳ, καὶ ἐν ἄλλῃ ἑλλάδι, εὑρήσεις καλῶς τὴν καθ' ἡμᾶς ἰδιωτικὴν

φθεγγομένους ἐνίους, ὡς καὶ τοὺς πάλαι. τούτου χάριν οὐ μιξοβάρβαρον, ἀλλ' ἰδιωτικὴν τῶν ἑλλήνων τὶς ὀνομάσειεν: εἰ καὶ τίνα τῶν βαρβαρικῶν λέξεων (ὡς τὰ τῶν μηνῶν ὀνόματα, ἰταλικῶς) προφέρουσαν. καὶ ταῦθ' οὕτω μὲν ἔχει. αὐτὸς δὲ μίαν ἐν μόνην μαθὼν, ἣν καὶ ἡμεῖς, ἁπάσας καλῶς εἴσῃ. ἔτι, τῶν ἡμετέρων ἰδιωτῶν, τοὺς μὲν δωρικῶς, τοὺς δὲ ἀττικῶς, ἄλλους αἰολικῶς, ἑτέρους ἰωνικῶς, πρὸς τούτοις δὲ καὶ κοινῶς φθεγγομένους εὑρήσοιτις.

Ἐῤῥώσω, ἀνδρῶν ἄριστε, καὶ μή μου τοῦ ψυχροῦ καταψήφιζε, ἐν τοσαύτῃ φρίκῃ ἐν χιόνι γραφέντων. ἐν πατριαρχείῳ τοῦ Βυζαντίου. ἐλαφηβολιῶνος γ ὑπὸ δέκα. ἔτει ἀπὸ χριστογονίας ᾳ φ ο η.

Συμεὼν Κιβάσιλας, ἐκ πόλεως Ακαρνανίας τῆς ἑλλάδος.

Doctissimo & optimo Præsidi Græcarum & Latinarum literarum in Academia Tybingensi *D. MARTINO CRVSIO* Salutem.

Nuper

NVper tuæ prudentiæ literas accipiens: easq; reuerenter aperiens, quantopere putas delectatus sum? Quæ verò commisisti, pro viribus effecta dedi. Quomodo enim ea, quæ magnus ille Germanus & inter sapientes celeberrimus Crusius à me petijt, non facerem? Et postea.

Olim quidem Athenarum vrbs triplex erat, & tota inhabitabatur. Nunc verò interior (quæ præcipua vrbs est, & templum Ignoto Deo dicatum continet) tota à solis Ismaëlitis incolitur. Extra hanc verò, media vrbs, tota Christianorum domicilia habet. Exterior autem (in qua etiam regia est, marmoribus & columnis splendidis exornata: in cuius porta versus inscriptus adhuc conseruatur: Hæ sunt Athenæ, Thesei pridem domus) tertia sui parte habitatur. Totum verò vrbis spacium, in quo homines degunt (ex quibus virorum duodecim millia legi poßunt) totum, inquam, sex septemúe miliaribus continetur.

De Dialectis autem quid dicam? quæ multæ ac differentes sunt supra septuaginta. ex quibus omnium corruptißima est Atheniensium. Volentes enim dicere, ἰδὺ πίστις, ὑπήνη, καὶ ἑλλήνων δικαιοσύνη: dicunt pro illis: ἐπᾶ πίσι, ἐπὰ σολὴ, ἐπᾶ ῥωμηϊκὴ μρίσι. Et pro σὺ, σοῦ: pro πορεύου, σοῦτε: pro λίτραν, λούτραν:

τραγ: Quos cæteri Græciæ incolæ, multa rectè loquentes, omninò Barbaros vocant, ab eisq; abhorrent, vt ex diametro contrarium eis quod olim, accidat.

Thessalonicæ verò, Byzantij, in Peloponneso, & in reliqua Græcia, inuenies rectè natiuam Græcorum linguam sonantes, non secus atque olim locuti fuêre. Quorum sermonem non Barbaro-Græcum, sed Græcorum proprium quis nominauerit: licet interdum aliqua barbaricis vocibus (vt mensium nomina Italicè) proferant. Et hæc quidem ita se habent. Tu verò, qui vnam & eandem linguam nobiscum didicisti, omnes cæteras dialectos facilè noueris. ac etiamnum ex nostris Idiotis, aliquos Doricè, aliquos Atticè, alios Ionicè, alios communi lingua vtentes quis inueniat. Vale vir optimè, & frigidam epistolam meam, in tanto frigoris horrore & niuibus scriptam, non auersare. Datæ in palatio patriarchæ Byzantij, die 13. Februarij, Anno 1578.

Simeon Cabasillus ex vrbe Græciæ Acarnania.

LITE-

LITERÆ VVENCESlai à Budouitz, magistri aulæ Cæsarei apud Turcarum Imp. legati, hoc anno 1580. Constantinopoli allatæ, in quibus, & veritas narrationum in oratione de statu ecclesiarum Græciæ & Asiæ, confirmatur: & proximorum PERSIÆ REGVM series & HISTORIA; & de Georgianis, & alijs rebus, quædam cognitu non indigna, breuiter recensentur.

D. Dauidi Chytræo.

PRo Oratione mihi missa summas ago gratias. fuit enim hæc verè gratissima, & quæ me mirificè & delectarit & erudierit. & quantùm adhuc ipse obseruaui, partim ex alijs multis cognoui, certè tuæ obseruationes & inuestigationes facile palmam referunt. nisi quis in minutulis illis

& mutabilibus cæremonijs inquirendis curiosior esse velit, quod nonnulli hic sine omni fructu, ne dicam ineptè faciunt.

Hodiernus Græciæ status certè per omnia talis est, qualem tu esse scribis. Inprimis autem, nimium illud verum, quòd adeo omne studium linguæ antiquæ Græcæ inter eos collapsum sit, quod fortaße adhuc tolerabilius esset, nisi insciti am suam doctrinæ vmbra contegerent. Omnia enim sacra eorum, lingua antiqua, neq; à sacerdotibus, neque à populo intellecta peraguntur: raræ Conciones, raræ ad populum adhortationes. vnde superstitiones infinitæ, & in quibus non humilitas aliqua præsertim sub hoc iugo tyrannico, sed fastus potius cernitur, & is quidem plusquam intolerabilis.

Ac cum DEI beneficio Ecclesiæ eorum adhuc honestißimos reditus habeant, malunt eos ad ociosos Mißificatores quàm ad vnicam aliquam paruam Scholam erigendam conferre, in qua iuuentus de sincero Dei cultu, aut artibus honestis saltem, institueretur.

Solus Patriarcha noster Constantinopolitanus dicitur habere in reditu annuo ad viginti millia talerorum, & vltra, sed quorum tamen nonnulla pars in magnates Turci ob donationes nimirum perit. Hæc inquam beneficia DEI, non solùm

non

non reddunt eos excitatiores, sed potius obstinatiores, vt qui magis de prisco illo imperiali Ecclesiæ suæ splendore, quàm de sinceritate huius sollicite esse videntur.

De Asiaticis Ecclesijs, quæ scribis, nec ego alia adhuc quæpiam cognoui, licet complures nobiles & eruditiß. iuuenes, hoc nostro tempore, quo hic moramur, illa Asiæ & Ægypti loca feliciß. peragrarint, inter quos vnus ex meis conterraneis Christophorus à VViztumb, nunc domum ad suos vti audio reuersus, nonnulla ex Tripoli Syriæ ad me perscripsit. quæ licet de Ecclesiæ statu nihil continent, tamen tibi sub hac occasione mittenda iudicaui, eo quòd nonnulla recitent, quæ fortaße suo in loco grata esse poterunt.

Ego de Georgianis, quorum hic legatos mihi videre licuit, te certiorem faciam. quanquam non legati publici erant, quemadmodum initiò dicebatur, sed principes suarum regionum fratres duo. Hi à Mustapha Baßa, contra Persas eunte, ditionibus exuti suis, huc ad Imperat. tertia mensis Iunij elapsi profugerant, & vrbem hanc magno & splendido comitatu ducentorum circiter hominum ingreßi, solenniter à Turcis excepti fuêre. deficiente paulò post iuniore fratre vnà cum sua cohorte ad Mahometismum, idq; ob defraudandum fratrem &

eripiendum illi tanquam primogenito ius dominandi, quod & accidit.

Ac cùm senior semel atque iterum illustriss. D. Oratorem meum salutare per suos iussisset: placuit D. Oratori, semper mea uti opera ad eum resalutandum, & ad constantiam Christianæ religionis adhortandum. quod equidem ea qua potui diligentia feci, eiq; diligenter quærenti de Ecclesiarum Germanicarum statu, ad singula breuibus per interpretem respondebam, & diebus aliquot elapsis, inuentum inter Græcos libellum Græcum confessionis Augustanæ, Basileæ impressum, cuius huc D. Steph. Gerlakius plura exemplaria transportari curauerat. hunc inquam ex consensu Magnif. Domini mei, & cum subscriptione manus ipsius, fratri seniori obtuli, quem benignè acceptum, statim in linguam suam Ibericam transferri iussit, seq; ad suos vnà cum exemplari Græco transportaturum promisit. Dimissus est autem hinc ad suos (vna cum fratre apostata) rebus suis mirificè perturbatis, & nihil impetratis eorum, quæ peticrat, excepta vita incolumi. Nomen illi erat Quarkßware Atabac.

Ego multa, tum ex ipso, tum ex ipsius hominibus inquisiui de Politia & Ecclesia eorum. & reperi diuersos principes illa loca incolere, moribus et opinionibus diuersissimos. Græcum Patriarcham colunt

colunt quidem, sed ab ipso non dependent, vt qui in multis se à Græcis dissentire dicant. quæ tamen dissimilitudo in varietate rituum consistit, qui ipsis sunt, quemadmodum & Græcis, caput & principale religionis.

Missus fuit contra hos populos in Colchidem præfectus maris, mense Maio, cum 32. triremibus, sed illis ad defensionem cum vicinis Mengrellianis & Circassis concurrentibus, non adeo multum effecit, sed extructa quadam in Mengrelliana munitione, & nonnullis tributarijs factis, 26. Septemb. huc redijt triremibus suis maiori ex parte tempestate ponti Euxini conquassatis, & tribus submersis. id quod ex captiuis innotuit. Et hæc quidem de Georgianis, quorum tu in Asiaticis tuis facis mentionem.

In Vngaria eadem videre licuit, quæ annotas, ac cum Buda per equos dispositos huc præmissus essem, quantum in illa celeritate obseruare potui, reperi plerosq; illos pagos, quos transibamus vsque ad duorum dierum iter distantes à Constantinopoli, Christianum nomen profiteri, si modo vita nomini responderet.

In Bohemia mea, gratissimo animo amplector illa catharmata & peripsemata, tanquam testaceos illos Domini thesauros, quibus vt quoduis vitæ

genus Dominus pro sua misericordia exornet, et nos doceat, diuinam eius benignitatem & philanthropiam toto pectore oro.

Nomina Regum Persicorum, ab Ismaële primo, vsque ad præsentem Regem, vti voluisti, tibi mitto. addita est etiam breuiter historia, ab antiquo quodam interprete Cæsareo, qui partim ipse aliqua obseruauerat, partim inter Turcas collecta & collata desumpserat. Hæc ego, vti ab ipso composita sunt, lingua Italica, tibi transmitto, nec enim propter festinationem licuit ea in linguam latinam transferre, ac puto te linguam Italicam intelligere. Illud autem obseruabis, particula Schah, quæ proprijs Regum nominibus præponitur, significari lingua persica Regem, quemadmodum nomen Sophi, quo omnes Persici reges vtuntur, religiosum significat, vt qui in Mahometana Idolatria religiosiores Turcis videri volunt. Sic Turcici Imperatores nomen Sultani ab imperando vsurpant, cui forsitan illud Gallicum Syre comparari posset, vtrumque tamen iam hodie in abusum deuenit, vt quod promiscuè quibusuis penè tribuatur. Sed hæc hactenus.

Hispanicus quidam nuncius, septem personis comitatus, vrbem ingressus est 4. huius mensis, de pace vti aliqui volunt, nonnulla tractaturus. Sed

Turcis,

Turcis, Lusitanicus ille apparatus omnino suspectus est. id quod tempus docebit. Bene & feliciter vale vir clarissime, & me quod facis ama.

Datæ Constantinopoli. 9. Octob.

Anno 1579.

Vvenceslaus Budovvitz á Budovva, Cæsarei apud Turcicum Imp. Oratoris aulæ magister.

Post scripta, 12. Octob.

DVM cursor noster nonnihil hic commoratur, casus subsecutus est, quem tibi breuiter indicandum putaui. Mahomet Bassa, qui trium Imperatorum supremus Vesirius, id est locum tenens erat, vndecima huius mensis heri circa horam 4. pom. à quodam mendico Turcico, supplicationem exhibente, in suo aulico Senatu interficitur, percussus cultello, in dextrum pectus illiso, ex quo vulnere duabus post horis mortuus est, & hodie hora 9. matutina sepultus. homicida pariter, altera statim post hora, in quatuor partes dissecto. qui in perpetrato facinore, adeo ab astantibus, contra exhortationem primatum, hinc inde tractus & verberatus

verberatus erat, vt semimortuus et mutus inde reportatus, & ad ipsum Imperatorem ductus, causam perpetrati homicidij dicere non potuerit. Hic est exitus huius Baßæ, hominis pene octoagenarij, cuius præcursores erant hoc tempore nostro Baßa Budensis, & Alexandrinus præfectus, iussu Imp. strangulati. Non dubito quin huius viri interitum in hac Monotyrannide aliqua insignis subsecutura sit mutatio. Datæ Constantinopoli, 12. Octobr. Anno 79.

Vvenceslaus Budovvitz à Budovva.

Series proximorum

PERSIÆ REGVM,

cuius in superiore Epistola mentio fit, ex Italico ad verbum conuersa.

Secundum

SEcundum historiam Ottomanicam, Rex Persiæ ex hac familia primus, ISMAEL, regnauit plus quam viginti annos. Ille eo tempore dominabatur in totum regnum Persianum, & insuper possidebat grandem illam, famosam & antiquam ciuitatem Babyloniam, & ciuitates VVan, Scherzul. aliæ quoq; maximæ ciuitates & regiones erant totæ sub ipsius imperio. Ille eo tempore dominabatur in totam Armeniam maiorem, & partem Cappadociæ, vsque ad confinia Amasiæ. ille bellum gerebat cum populis Ciliciæ. in summa plurimum nocebat et incommodabat Imperio Ottomanico. Eo tempore regnabat Baiazeth secundus Imperator Turcorum, & præ maximo metu, quo tenebatur, singulis annis sua munera supra dicto Regi Persiæ mittebat, vt sic in bona pace & vicinitate staret.

Sed postquam dictus Baiazeth mortuus est, filius eius Selimus primus, qui ei in regno & imperio succesit, non voluit mittere solitum munus, quod pater mittere solebat. Quin etiam de bello contra Persam mouendo deliberauit, & subito transijt in Asiam cum maximo exercitu, & viam suam sequens in agro dicto Zalderan siue Calderan, castrametatus est, & ibi cum supra nominato Sophi rege Persiæ, Scah Ismaël, hoc est, Rex Ismaël nominato, prælium commisit, in quo Selimus obtinuit

tinuit victoriam, & Ismaël victus & in scapulis vulneratus, redijt in Persiam magno cum suo damno & pudore.

Selimus cum victoriosus esset, occupauit eo tempore multa castella & ciuitates, & dispulit Persas ex confinibus Armeniæ maioris, Ciliciæ, Amasiæ, & redijt Constantinopolim cum magno triumpho. Et quoniam res huius mundi sunt semper mutabiles, Selimus mortuus est, & suus filius Sultan Solymannus succeßit ipsi in imperio.

Aliquot annis post similiter moritur Ismaël, et ipsi succedit suus filius Scah Tahmas. Solymannus ipse quoq; volens imitari suum patrem, mouit bellum contra Scah Tahmas, & ipsi ademit supra nominatam ciuitatem Babyloniam, & fortem ciuitatem Vuan, & magnam ciuitatem Scherzul, et similiter diripuit amplam et capacem ciuitatem Tauris, sitam sub monte Tauro, similiter in confinijs Georgianæ occupauit multa castella & ciuitates, & in Mesopotamia cepit multas regiones & munitiones. In Armenia itidem maiore occupauit infinita loca. Omnes isti nominati loci & regiones pertinebant & subiectæ erant regno Persiæ. Postea cum tanta prælia & tam multæ pugnæ secutæ essent inter Solymannum & Scah Tahmas, facta est pax, quæ duravit ad finem mortis vtriusque.

Sciendum

Sciendum autem quòd Rex Tahmas habebat alterum fratrem nominatum Elcaß. Huic cum non conueniret cum fratre, fugit, & venit ad Solymannum, cui Solymannus multum honoris exhibuit, & ipsi dedit exercitum, vt contra suum fratrem in bellum prodiret. Sicuti autem notum est, quod in hoc mundo semper regnet inuidia, Generalis Dux Solymanni, qui cum isto in hac expeditione erat, motus inuidia, qua correptus erat, scripsit ad suum principem Solymannum, quod dictus Elcaß. consilia sua clam cum Persis communicaret, & quod timeret ne proditionem aliquam tentaret. Postea illi misit alias litteras, quas significabat tali forma ad fratrem suum missas esse, quocirca sine dubio omnem suspicionem & inimicitiam inter eos sublatam esse. In summa tantum effecit, vt Solymannus eum ad fratrem suum abduci iuberet, qui Elcaß. quam primum ad fratrem suum peruenit, ab eo in custodiam missus est, in castello dicto Kahkaha, vbi ad mortem vsque detentus fuit.

Vt redeamus ad Tahmas, regnauit ille vltra quadraginta duos annos, & satis studiosè & sollicitè bellum et expeditionem contra Ottomannos molitus est, sed votorum suorum ex sententia compos fieri nunquam potuit. In fine enim semper succubuit, nisi quod in mari Caspio ad fines Persiæ duas

regiones

regiones cepit, quibus imperabant duo domini, quarum vna dicebatur Syruan, altera Gillan. Et hoc modo finitis suis bellis in nullam rem aliam intentus fuit, quàm vt staret in bona pace & quiete cum omnibus suis principibus vicinis.

Post huius mortem ipsi succeßit Ismaël filius, secundo loco natus, dictus nomine Ismael secundus. Hic viuo patre in mala eius gratia erat. causa fuit, quod ipsi non esset obediens. Sed interea dum Solymannus pacem coleret cum dicto Tahmas huius patre, ille tanquam inobediens, patre ipso inscio, comparauit sibi bonum exercitum, & venit, impetumq; fecit in Bellerbegum de Arzrum, qui vocabatur Iskender Bassa, in ditione Sultani Solymanni, & eum tali modo fregit, vt vix saluus potuerit effugere. Solymannus hanc rem, & maleficium filij Tahmæ amici sui, subitò illi grauißime conquerens scripsit, addiditq; de rebus quas filius fecisset contra capitula pacis, quæ inter ipsos essent, Item de alijs quibusdam damnis, quæ regno Persico intulisset. Pater nouos hos nuncios cognoscens, vehementi exarsit ira, & filium incarcerari iußit in quodam castello quod dicebatur Kahkaha in regione Erdeuil, quod vicinum est finibus Persiæ & Syruan. In eo castello detentus fuit, vsque ad mortem sui patris.

Mortuo

Mortuo Solymanno Imperatore Turcorum, illi succeßit filius Selimus secundus. Dictus Tahmas rex Persiæ, misit illi suos legatos & confirmauit pacem & vicinitatem. Similiter posteaquam mortuus est Selimus, et ipsi succeßit Murath, misit legatos ad iterum cum eo confirmandam amicitiam.

Et non longè post ipse quoq; rex Persiæ Scah Tahmas mortuus est. Et omnes domini & principes Persiæ miserunt legatos cum literis in Coraßan, vt accerserent alterum filium supradicti Tahmæ, (qui nominabatur Muhemet Hodabendi, & eo tempore commorabatur in Coraßan) eumq; Regem Persiæ crearent. Ille autem tum matrimonio sibi iunxerat filiam Domini Coraßani, & socero mortuo ille tanquam gener & hæres regni seu dominij illius relicti, eam regionem gubernabat & regebat, & nunquam voluit redire in Persiam, vt ibi se regem constitueret.

Persæ videntes quòd iste regnum adire non vellet, deliberarunt de rege creando suo fratre Ismaële, qui erat in custodia. Et sic simul omnes vno animo eum regem crearunt, qui secundo sui regni anno mortuus est. Habebat hic alterum quoq; fratrem minorem, quem, dum regnabat, veneno interfecit. Similiter suam propriam et carnalem sororem, per suæ praua et malitioßißima instituta, et scelerata pessimamq;

mamq; vitam et mores, cum consensu procerum regni Persiæ veneno interfecit, & ipse vna ruptus est.

Post mortem huius, cum viderent et experirentur Persæ se rege & legitimo regni hærede & successore destitutos esse, miserunt legatos precatum ad supradictum Muhemet Hodabendi, vt ad regnum veniret. Ille etsi duriusculum se præberet, tamen tandem, cum tantopere exstimularetur, ipsis assensus est & venit ad regnum, vbi & subitò creatus fuit Rex, & hucusq; regnauit.

Et ante tres annos stabat adhuc in bona pace et vicinitate cum Ottomannis, neq; quærebat eorum dominium lædere, multò minus recuperare. id quia pater & auus suus amiserant, cum omnibus istis stabat in pace et quiete. Nihilominus Ottomanni, tanquam ij, qui nunquam contenti ijs quæ habent, & gens continuò inquieta, mouerunt bellum contra miserum Muhemet Hodabendi regem Persarum, quod ad hunc vsq; diem durat. Anno superiore ceperunt aliquas regiones & ciuitatem Tiffliß in agro Georgianorum. insuper etiam tentarunt Syruan, & hoc anno ædificarunt Carso, idq; semper cum satis magna iactura sui exercitus, ita vt semel atque iterum pæne fuerint fatigati. In præsentia pro firmo & certo habetur, quod Ottomanni cum rege Persiæ pacem facere constituerint.

Dicunt

Dicunt quòd hic Rex non benè videat. aliqui volunt dicere, quòd sic natus sit. alij dicunt quòd pater suus dedita opera ipsi visum oculorum perdi iußerit, cò quod adhuc viuo patre, Persæ eum regem creare studuißent, & hæc causa fuit, quòd pater eum hoc ludibrio affecerit.

SERIES REGVM PERSIÆ.

Vsuncassanus Rex Persarum — Despoina. | Calioannes Rex Trapezuntis.

Harduelles, gener Vsuncassani. — Martha.

IAcuppus interfecit Harduellem.

HISMAEL SOPHI, Rex Persarum, qui cum Selymo Turcarum Imp. conflixit anno Christi 1515. | Alphantes ab Hismaele interfecti. | Moratchamus.

THOMAS 42. annos regnauit, obijt 1575. | Elcas seu Casul.

Mahomet Hodabendi cœpit 1577. | Hismael II. patri succeßit. altero anno obijt.

LITERÆ IN SYRIA SCRIPTÆ, HIErapoli, quam Halepum hodie nominant.

EGO, *quantopere Asiæ desiderarim peregrinationem, & nemo te scit melius, quo cum eius argumenti sermones institui longissimos Byzantij; & nunc, quod consequutus sum quæ volui, alterum opinor non habes, cui ea res sic, vt tibi placeat; quandoquidem in me amando cedis nemini. Nihil autem hac nostra peregrinatione accidit optatius, nihil felicius. non solùm enim Archipelagi vidimus Insulas: quas videre non contigisset, si terra, quod tamen nemo nostrum sperabat, iter fecissemus. verum etiam expedita cum naue, Candia in Ægyptum descendimus. qua in nauigatione hoc erat pulcherrimum: quod erat subita, & præter spem sese obtulerat. excursiones enim pyratarum non timebamus: quia ea in maris parte non fiunt. & consilij auxilijq; nobis suppeditabant mercatores tantùm, quantum habebant ipsi.*

Verùm tamen eo citius Memphim nos contulimus, quod locus ille Alexandria videbatur tutior: & à mari Rubro, quod videre animus erat, non adeo distat. Itaq; dies hic constitimus 17. quos sibi

partim

partim vendicarunt pyramides, insolitæ magnitudinis laborisq; non humani: partim mummiæ, de quibus multa apud nos, at plerunq; referuntur falsa. arbitrantur enim mummias esse corpora peregrinantium, quos arenæ, ventorum commotæ impetu, oppressissent. atqui non dicunt verisimile. reperiuntur enim infantes: quibus peregrinationes non conueniunt. & corpora non vnius sunt sexus. quæ aromatibus condita linteisq; belle inuoluta, in cauernis, arte factis, suis visuntur cum Dijs: quos forsan infelices amici demortuis inseruëre, vt quorum auxilio usi in vita essent, eos etiam in morte haberent defensores. Sed hæc valeant, non sunt enim huius instituti.

Suezian oppidum maritimum ingressi sumus 22. Iunij, 3000. camelis, qui omnes partim frumento, partim onusti lignis incedebant. illud enim expectabant præsidia Indis vicina: hæc verò mittebantur ad expediendas triremes contra Ormum insulam. Hinc itaq; soli altera statim nocte discessimus. iter non tam longum quàm periculosum, & molestiarum fuit plenum.

XXVIII enim eiusdem mensis, Sinai montem ascendimus, cuius mysteria dies quinos desiderabant: & in reditu tardatum est minus, quia id victus nostri flagitabat ratio. panis enim biscoctus famem se-

dabat, & potus vicem præstabant aquæ sulphureæ, quam miseriam reddebant maiorem intensissimi solis æstus, & arenæ, quæ si ventus erat, implebant oculos. Sin autem nulla flabat aura, descendere in terram vix patiebantur, tanta erat caloris vehementia.

Hierosolymas verò vt solus proficiscerer, causæ me mouebant plurimæ. nulla tamen maior, quàm mea Baronumq; libertas, quæ laborare, salua multorum existimatione, non poterat. ferè enim pueris innotueramus: quanquam non nostra culpa, sed eorum, qui Candiæ nos viderant. Itaque paruâ nauicula Damiatam veni: vt, si quid esset periculi, manifestarem. & Barones remittere in Italiam seruos debebant: ne si tot essent, agnoscerentur. Verùm, quid illi egerint, ego ignoro. Duo enim mei erant officij; vnum vt de omnibus rebus ad eos diligenter perscriberem. Alterum, vt iter continuarem, quod DEI optimi maximi auxilio iam ferè confeci.

Hierosolymis enim, quæ visu sunt digna, vidi. Damascum salutaui. Halepum attigi, vbi & nunc hæreo, vosq; expectarem, si quæ domi aguntur, scirem. fama enim est, vos huc venturos esse cum Turcarum Imperatore sed quia vtrunq; incertum, hisce diebus Tripolim me conferam. Maltam cogito: sphem

non

non malam habeo. an quod volo, sim consecuturus, nos tempus docebit, & ego ad te perscribam. Sed hoc te ita obsecro, vt non posim magis: quod si feceris, nihil erit quod tuæ industriæ anteponam. Commendari enim, Budouitzi, abs te Illustriss. Oratori velim, atque ita commendari, vt se pari tecum à me obseruantia coli animaduertat. Vale etiam atq; etiam. 12. Septemb. Anno 79. Halepi.

Ex Literis Constantinopolj, die 30. Octobris, anno 1574. ad D. Dauidem Chytræum datis.

HOC mense, Selymus, Cæsareæ Maiestatis Oratori, dilatum iam diutius anno responsum, de prorogatione Induciarum, categoricum tandem dedit, & octo annorum pacem promisit. Qua de re Ahmet quidam ad nostrum Imp. legatus profecturus esse dicitur. Die 19. Octob. primus nuncius de capta & solo æquata Goleta huc allatus est. Ante biduum duæ Galeæ ex Armada Turcica appulerunt, quæ quid adferant nondum scitur.

Paucis diebus antequam Cæsaris Legati pensionem annuam Selymo adferentes mense Augusto aduenerunt: Seraglium, Portæ Imperatoris ferè contiguum, incendio perijt, quod intra biduum vix integrè restinctum est. Damnum quod fecit Imp. eo incendio, decies centenis millibus, multi pluris æstimant.

Regis Persarum præsentis, de quo quæris, nomen est, Scah Tahmas: Ismaëlis, de quo Iouius, filius iam senex. Patriarchæ Constantinopolitani præsentis nomen est IEREMIAS.

Turcarum Papa seu Sacerdos summus, quem Mufftì appellant, mense Septembri mortuus, ipsorum more inter eiulatus, choreas, cantus, lamentationes elatus est.

Patriarcham ipsum propter dignitatis eminentiam & occupationes summas conuenire mihi nondum licuit: sed ex familiaribus & domesticis ipsius, rerum Græcarum reliquis peritioribus multa inquirere cœpi.

Quale Doctrinæ genus amplectantur, non nisi ex literis ipsorum sciri potest. Conciones enim populares nullas aut certè rarissimas hîc habent, sola missarum celebratione suos pascentes. In Cypro tamen & Candia aliquos esse, qui populum publicè doceant, audio. Hîc Constantinopoli vni-

eus, quem sciam, Calogerus fuit, qui tempore quadragesimali, ferijs Natalitijs & Paschatis nonnunquam concionatus est, sed cùm reliquis doctior, populo gratior, vitæq; sanctioris esset (inuidia fortasse æmulorum) ad patriarcham delatus, & ad montem sanctum relegatus est, cuius præsentia plurimum mihi ad cognoscendam vniuersam Religionem Græcorum, aliarumq; nationum commodare potuisset. Acta septem Synodorum græcarum; scripta Basilij, Chrysostomi, Damasceni, eorumq; Traditiones, tanquam diuina oracula amplectuntur, ad eaq; de fide & Religione ipsorum scisitantes, remittunt.

Propter quos articulos ab Ecclesia Romana se separauerint, Excell. vestræ ignotum esse non potest. In reliquis omnibus, Pontificijs propinquiores esse quàm orthodoxis videntur. Bonis operibus, maximè ieiunijs (quæ multa & diuturna habent) eleëmosynis, precationibus &c. nimium tribuunt. Inuocationem sanctorum cultumq; imaginum superstitiosum planè habent. Medium locum, in quo animis nec benè nec malè sit, ex eoq; precibus viuorum in beatam sedem educi, asseruut. Exequias mortuorum celebrant.

De authoritate Ecclesiæ & traditionibus patrum, eandem cum Papistis religionem alere videntur.

Integram Cœnam administrant. prius tamen cum pompa è sacrario procedunt, panem & calicem per medium templi portant, populus quasi sacramentum adoraturus se totum inclinat, quidam etiam ad eius ostensionem, in genua prouoluti terram exosculantur. Verùm de his certius & copiosius postquam Græci sufficienter & fidelius de quæstionibus scriptis me edocuerint.

De libellis Catecheseos, summam doctrinæ & preces ipsorum continentibus, diligenter quæsiui sæpius, sed præter Horologion & alium ὁκτώηχον inscriptum, nullos monstrare potuerunt. De præcipuis & controuersis articulis ad doctiores scripsi, sed an ex ignorantia ignoro, respondere hactenus terguersati sunt, instare tamen non desinam donec sententiam eorum extorqueam.

Quòd Excell. vestra Belisarij & Alexandri historiam, mendosè excusam putat, arbitror ego (Ex. Vestræ nihil præiudicans) non vitium Typographi, sed linguæ esse. Vtraq; enim in lingua vulgari (qua hodie vtuntur Græci) sed nonnihil eruditiore conscripta est. quemadmodum in Italica, quidam puriore stylo, subinde latina miscentes, vti solent.

In lingua antiqua, præter psalterium, libros noui testamenti, horologium, ὁκτώηχον, triplicem

cem missam, Basilij videlicet, Chrysostomi τῆς τῶν προηγιασμένων cum ἀκολουθία nihil prostare vidi, reliqui omnes in vulgari & barbara extant.

Quòd si horum aliquem Ex. vestra desideret, nec eos Venetijs, vbi imprimuntur, commodius habere posßit, vt per cursorem Dig. vestræ transmittam, laborabo. Datum Constantinopoli in foro Constantini magni, 30. Octobris. 1574.

In ijsdem literis est, Literati in hac vrbe pleriq; tenuiß. fortunæ sunt, prouentibus & stipendijs à communi hoste priuati, et ex sola ferè contributione, mercede item ex quouis officio petita, viuentes. Mercatorum verò & opificum melior conditio est, quibus opes quocunq; modo parare licet.

Ex literis Constantinopoli Cal. Iunij anno 1578. ad D. Dauidem Chytræum datis.

SAnte triennium, si rectè memini, Reuerende clarißimeq; vir, ad Excellentiam tuam literas dedi, quas an acceperis, hactenus intelligere non potui. nec id quicquam opus fuit, nisi quod Excellentiæ tuæ responso ad maius forte de rebus

Græcorum

Græcorum inquirendi studium excitari potuissem. Sine illo quidem mediocriter officium feci, si modo labori effectus respondisset. Fit enim iniuria temporis, ut harum regionum homines, non tam rerum cognitioni, quàm vitæ alendæ studio se dare cogantur.

Misit mihi ornatissimus vir, D. Albertus Vrsinus, I. V. Doctor, literas R. T. ad Patriarcham Constantinop. scriptas, quas cum libello addito, literisq; Theologorum VVirtembergensium, ad D. Patriarcham, Thessalonicæ tum temporis agentem mittens, responsum simul per epistolam decenter flagitaui. Eum verò Græcarum Ecclesiarum inspectione occupatum, cum quotidiana negocia respondere non sinerent: sub finem Maij in vrbem redeuntem, de eodem monere cum institissem, parauit responsum, nec id grauatim, (pro vt vir est humanus & facilis) quod nunc cum præsentibus mitto. Dedit mihi quoque linteum quoddam, Græcis προσώπιον dictum, (quo faciem loti extergunt) quod Excellentiæ tuæ antidori loco mittit. quia verò tachydromus id ferre non potuit, vt nec alia, quibus theologos VVirtembergenses donare voluit, sarcinæ meæ illud addidi, vt D. D. Vrsino Viennam redux, Ex. T. mittendum, traderem.

Quale doctrinæ genus in Græcis ecclesijs propagetur, quidq; de præcipuis articulis Religionis

Christia-

Christianæ sentiant, R. T. cognouisse opinor ex D. Patriarchæ libello, quem Tubingam anno 76. transmisit, pleniusq; cognoscere poterit ex eiusdem Patriarchæ responso, quod post bimestre ad theologos Vuirtembergenses dabit. Ego quidem, occasione literarum tuarum, præcipua religionis veræ capita, de quibus hodie in ecclesia controuertitur, conscripsi, Græcorum de ijs sententiam exquisiturus. ad multam verò instantiam, postquam responsum paratum mihi legendum dedissem, videremq; nonnulla scripturæ rationibus, modestè tamen, conuelli: id à me recipientes, exactius quiddam promiserunt.

De Ecclesijs Orientalibus, quæ Oratio Ex. Tuæ doctissima habet, si quæ mihi videre non contigit, cum Græcis earum rerum vt plurimùm peritis contuli. quia verò momentis singulis discessum paramus; nec etiam oratio Ex. T. ad manum mihi sit, quod meam supellectilem chartaceam, spe reditus maturioris facta, Viennam iamdudum miserim, voluntati Ex. T. nunc quidem plenè satisfacere non potui. Si quid verò in Germaniam reuersus præstare fuerit, non tantum id me debere agnosco, sed etiam libenter facturum esse polliceor. Deus Excellentiam tuam Scholæ & Ecclesiæ suæ, hoc seculo peruerso, cum cæteris orthodoxis fidelibusq; Doctoribus,

floribus, diutißimè incolumem conseruet, cui me etiam atque etiam commendatum esse peto.

Constantinopoli, 1. Iunij, Anno salutis 1578.

Stephanus Gerlachius, generosißimo Baroni, D. Dauidi Vngnad &c. à sacris concionibus.

De Gradibus EPISCOPORVM in GRÆCIA, & statu Ecclesarum, Ædificijs publicis, Arce & Templis in vrbe Constantinopoli.

Ex literis STEPHANI GERLACHII ad MARTINVM CRVSIVM, Anno 1575. scriptis

ECCLESIASTICARVM Dignitatum gradus & ordo apud Græcos, hic est. Patriarcha, Metropolita, Archiepiscopus, Episcopus, Hieromonachus, Presbyter siue Papa (his consecrare, hoc est, Missas celebrare, licet.) Monachus (non consecrans) Diaconus, Hypodiaconus (qui ministrant

strant altari.) Anagnostes, qui legit epistolam Dominicalem, & alia quædam. Monachi quoq; suos ἡγουμένους, siue Archimandritas, hoc est, Abbates habent. Fuerunt etiam alia plura Patriarchalis ecclesiæ officia, quorum nomina tantùm hodie retinent.

PATRIARCHA secundum canones Ecclesiasticos, à Metropolitis & Archiepiscopis, Constantinopolitano throno subiectis, eligitur.

Iniuria autem temporis factum est, vt hodie ferè præcipuum suffragium sit penes Michaëlem Cantacuzenum, quem Græci ἀρχοντα vocant; Imperatoris Turcici, licet Christianum, supremum publicanum. qui priorem Patriarcham Metrophanem nomine, pium & doctum virum, nunc in monte Sancto agentem, ex odio priuato deposuisse dicitur: in eiusque locum, præsentem Ieremiam, virum humanum, rerumq; satis intelligentem, suffecit.

Electum Patriarcham supremus Bassa vicarius Regis confirmat: eiq; priuilegia Patriarchatus roborat, postquam aliquot millia ducatorum sibi & Imperatori promiserit.

Authoritas Patriarchæ apud Imperatorem amplior non est, quàm alicuius Legati Christianorum, munera regi offerentis. aliumq; honorem ipsi non habet,

habet, quàm quòd eum admittere dignatur, vt ad pedes Imperatoris prouolutus, pallium eius exoſculetur. quod & omnes Legati facere, & pro magno honore reputare ſolent.

METROPOLITÆ proximam à Patriarcha ſedem, ſed ordine quodam habent, vt vnus alio prior & dignior ſit, ſecundum antiquiſſimam conſtitutionem.

Certum eſt, Theſſalonicam, Græcis frequentiſſimam, & metropolin X. Epiſcopatuum, adhuc extare. Metropolitam eius quotidie hîc exſpectamus.

Athenæ metropolis 6. epiſcopatuum, & 150. eccleſiarum extat: cùm olim 10. epiſcopatus habuiſſet.

Mitylena metropolis ſine epiſcopatibus extat: quorum quinque habuit.

Chalcedon hodie vicus eſt, Metropolitam abſq; epiſcopis, & 60. eccleſias habens.

6. Septembr. ruinas ampliſſimæ vrbis, cum Legatis Ceſareanis circumiui, luſtrans portum Eutropij, in quo à Phoca cæſus Mauritius Imperator cum familia eſt: & ruinas templi D. Euphemiæ, in quo concilium congregatum fuiſſe ſcribitur. Tota arca vrbis in vineam verſa eſt, de cuius vuis dulciſſimis, Turca nos, ſub ficu prandentes, honorauit.

Nicæa,

Nicæa, metropolis adhuc, sed absq; episcopatibus est. Cujus metropolita 30. Maij mihi dixit, in urbe Nicæa tres ecclesias esse. 1. τῆς παναγίας, h. Mariæ: iuxta quam ampliſsimus locus videatur, in quo concilium habitum fuerit. 2. τῶν ἁγίων θεοδώρων. 3. τὸ ἅγιον Γεωργίου. In tota autem præfectura esse circiter 50. ecclesias.

Ephesus metropolis absq; episcopatibus, 50 ecclesiarum extat. Metropolitam eius 24. Augusti salutandi causa Constantinopoli conueni.

Corinthus metropolis 4 episcopatuum et 100 ecclesiarum extat.

Philippi Macedoniæ metropolis extat 150. ecclesiarum.

Antiochia Pisidiæ 40 ecclesiarum metropolis extat: muri eius partim destructi.

Smyrna, metropolis 80 ecclesiarum extare dicitur. Sciendum autem, quòd vrbes istæ nec splendorem, nec magnitudinem antiquam retineant: sed pleræq; muris ruinosis, aut ijs penitus nudatæ, formam vici ostendant.

Ecclesia autem Græcis est 50. & 40. tantùm hominum. Sunéq; in Asia pauci Christiani: quòd multæ μητροπόλεις vastatæ iaceant: aliæ autem à Turcis inhabitentur. Nomina singularum, & Episcopatuum Constantinopoli subditorum, vo-

lente DEO. breui vobis communicabo, In hoc nunc sum, vt quæ formam vici, quæ vrbis, habeant, cognoscam.

Chrysopolis, Chalcedon non est, sed olim nobile emporium Chalcedonis fuit, de quo Xenophon in Ἑλληνικοῖς. Hodie vicus est, vinetis amœnissimus, latissimeq; à Turcis habitatus, situs partim in valle, partim in promontorio Damalico, è regione arcis Imperatoriæ: Emporium totius Asiæ: in quo generosissimi equi ex Arabia, Carmania, venales exponuntur. Iam dudum Scuttaris vocatur: vt quidam opinantur à statione militum Scutatorum.

Græci Constantinopolitani distributi sunt in certas ecclesias, quas die Dominico festisq; diebus, singuli suam frequentare iubentur. Numerus singularum, forte trecentarum aut plurium personarum est. In festis autem solennibus, die Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis Mariæ (quod ipsis ex præcipuis est) frequentes in Patriarchatu, alijsq; primarijs templis, conueniunt.

Singulis quoq; quadragesimæ Dominicis, quando Patriarcha, nunc in hac, nunc in alia ecclesia Missas celebrans eleëmosynam colligit, cum magna frequentia ex pluribus templis adsunt, & quisq; pro facultate eleëmosynam dat: quidam duos vel tres ducatos. 10. 20. 30. Asperos. pauperiores nihil.

vel

vel quando alicuius Sancti agitur, frequentißimi ad templum, quod nomini eius dicatum est, conueniunt, ibiq; Missa, magna solennitate celebratur. Conciones omnino ipsis habere licet. Hodie autem vnus Constantinopoli Calogerus est: qui in Quadragesimæ solùm Dominicis, ijs in templis, in quibus Patriarcha Missas celebrat, concionatur. A Turcis nihil, quod sciam, molestatur. Verùm Patriarcha semper ad portam templi vnum aut duos Ianizeros habet, qui importunos huiusmodi prohibendi potestatem habent.

Puram linguam quidam in Italia discunt, & hi domum reuersi alios quoque docent. Quidam à parentibus per manuum quasi traditionem accipiunt. Alij præceptis Grammaticæ Constantini Lascaris imbuti, assidua lectione acquirunt (vt metropolitæ & Calogeri quidam) vt pleraque in patribus intelligant.

Typographiam nunquam habuisse creduntur. Ideo libri ipsorum plerique manuscripti sunt. et bibliotheca in monte Sancto ex manuscriptis constare dicitur. Multi Venetijs importantur impressi, quorum in templis vsus est. Ex Germania nullos accipiunt, nisi ab Oratoribus Cæsaris aliquibus donentur, quales vidi Basileæ impressos. Manuscripta magis, quàm impressa, legere amant.

Vidi tamen in Patriarchatu Basilium, Chrysostomum, & alios nonnullos, Romæ, Veronæ, Venetijs excusos. Et nisi ipsis voluntas & industria deesset, à Turcis nequaquam opinor prohiberentur. Habent enim Iudæi prælum, sed vt plurimùm cessans. Habuerunt quoq; in Themes&var Vngariæ noui Arriani Typographiam: cujus gratia cum Adam Neuserus eò Claudiopoli profectus esset, à Bassa Themes&warensi, tanquam explorator captus, Constantinopolin missus est.

Cantus figuralis apud Græcos non est: nisi quòd Cantores in templis variata interdum voce imitari conentur, & more vtricularioru nostrorum, alius vocem eodem sono teneat: alius Dradra saltatorium in modum canat. In Musicis libris notulas non habent, sed certa quædam signa, ex quibus vocem variare nouerunt. Valorem & rationem ipsorum per otium conscribam.

Instrumentis Musicis non vtuntur, nisi fortè testudine, & clauichordio, vt vocant, ludant ij, qui ex Chio, Creta, Cypro, Corcyra, alijsq; locis Italizantes veniunt. Habent Lyram, instrumentum oblongum, sex aut septem chordarum, quod calamo pulsant. Βάρβιτον τρίχορδον ignorant.

Lexicon et Grammatica in Barbaro Græca lingua non extat, nec vllus Biblicus liber. Sed transeo ad reliqua.

CIR-

CIRCVITVS Constantinopolcos trium milliarium Germanicorum cum dimidio esse perhibetur. MVRI terrestres duplices sunt, fossa longa cincti. Interior excelsus, & plus minus 15. pedes latus, supra ducentas turres habere dicitur. Exterior murus humilior, sed totidem turribus. Muri maritimi, humiliores sunt terrestribus, simplices, sed bene crassi & turrigeri. Terrestres hodie extantes, ampliores sunt muris Constantini magni: à Theodosio minore extructi. Nomen autem Theophili regis, in maritimis incisum. indicat, eos ab ipso renouatos, & ampliatos etiam esse.

Ædificia vrbis humilia sunt. Turcarum pleraq;, exceptis magnatum & ditiorum domibus, vnius contignationis: Græcorum et Iudæorum duarum & plurium sunt: ex luto & lapidibus, partim ex crudis vel coctis lateribus, constructa.

Domus Patriarchæ ante captam vrbem ad S. Sophiam fuit. Nunc in extremo ferè vrbis angulo, non procul à Palatio, quod Constantini vocatur, & loco Blachernarum, in monasterio quodam satis spacioso: hortis & situ, in loco editiori, versus sinum maris & vrbem Peram amœnissimo, habitat.

In templo ejus spectanda exhibentur, corpus Mariæ Salome, D. Euphemiæ, & columna mar-

morea, ad quam Christus flagellatus creditur. Huic aliud templum adiunctum est, Iohanni Baptistæ sacrum, quod TRVLLVM vocant, à monialibus Græcis inhabitatum.

Palatium Imperatoris, à Mahomete, qui urbem cepit, ædificatum, in primo colle, è regione Scutaris, in promontorio Bosphorico situm est: vbi & Acropolis antiqui Byzantij, et Regum Constantinopolitanorum, fuit. Amplitudo eius muris fortißimis inclusa Tubingam facilè æquat. Silua cupreßorum, platanorum, arborumq; fructiferarum undiq; cingitur. Ante domum Regis tres portæ altißimæ sunt, de marmore albo & serpentino. Duæ priores custoditæ ianitoribus plurimis: & tertia per quam ad Regiam aditus patet Eunuchis. Intra has portas duo atria longè lateq; patent. In quorum priore officinæ quædam Regiæ sunt, famuliq; magnatum equitando se exercent, dum operiuntur dominos suos. In altero, Senatum Baßarum dum Imperator habet, præcipua exercitus pars in ordine stat, singuli complicatis manibus, tantoq; silentio, ut ne verbum quidem exaudiatur. Intra septum Regum, præter templum antiquum, quod paruam Sophiam vocant, aliud ædificium Græcum non videtur: et in horto Regio columna porphyretica, capitello Corinthio, quod ex mari circumnauigantibus conspicitur.

Ædifi-

Ædificiorum Regiorum structura satis magnifica & sumptuosa est, ex marmore vario, plumbo tecta, vt & omnia templa, Xenodochia, & pleraq; hospitia Turcica. pauimentum interioris ædis, tapetis pretiosissimis, de auro ductili, opere Persico, stratum est: laquearia inaurata: fenestræ lapidibus pretiosis ornatæ.

Templum S. Sophiæ septo Regio vicinissimum est, via duntaxat intermedia, altissimum & amplissimum, columnis de omni genere marmoris et incredibilis magnitudinis magnificentissimum, portæ æreæ altissimæ & plurimæ, elegantissimi operis, parietes omnes anteriores, porticus templi aularum superiorum, infinita varietate præstantissimi marmoris vestiti: omnes cameræ, calculis & tessellis vitreis inauratis tectæ, imagines Sanctorum repræsentantibus, sed singularum facies à Turcis erasæ. Opus planè & ædificium incomparabile.

Summum hodie templum Turcarum est, in quo quotidiè vnus ex Doctoribus Turcicis in magna frequentia auditorum docet. Cuius audiendi gratia, cum 14 Maij præsentis anni, cum alijs nonnullis ingressus essem: tanquam profanatores templi à Sarraceno quodam, & duobus Papanis (nomen Græcorum & Turcicorum sacerdotum) expulsi sumus.

Templum Lucæ vbi fuerit, ignoratur. In loco

verò templi Apostolorum olim magnificentißimi, Mahometes suum templum & sepulturam extrui fecit.

Templa Imperatorum & Purpuratorum, ad formam S. Sophiæ, tecto plumbeo & hemißphærico Mecham spectantia, ædificata sunt. oraturi enim versus prophetæ patriam faciem conuertunt. Vnumquodq; vestibulum amplum & quadratum ex marmore albo stratum, & porticibus, pulcherrimis columnis marmoreis sustentatis, circundatum habet: in cuius medio arbores cupreßinæ, & fons amœnus, epistomijs plurimis est: ad quem oraturi se prius lauant. Pauimentum templi storeis stratum est, & lampades infinitæ in medio per circum suspensæ, quas noctu accendunt. ex loco in eo altiori, qui gradibus lapideis ascenditur, in die Veneris ante meridiem textum Alcorani legunt: Deoq; gratijs pro reuelata veritate actis, pro Rege & populo fideli orant.

Post meridiem ex cathedra humiliori & lignea concionari solent. Et inter concionandum, quoties mentio prophetæ ipsorum fit: omnes vnanimi voce clamare incipiunt: Alla humme kalli aba Muhamet, hoc est, O Deus noster, glorifica & saluifica Mahumedem. Templa quoq; altas & rotundas turres habent, ex quibus Papæ suos ad preces, in die et nocte quinquies inuitant.

Templis

Templis Imperatorum & Baßarum, Xenodochia ampla, & studiosorum collegia pulcherrima addita sunt, hæcq; suos gradus & quasi classes habent, in quibus singulis certi libri, semper alij alijs maioris doctrinæ leguntnr. Reliquis templis plærisque, quæ infinita sunt, pueriles scholæ adiunctæ sunt. Pictura vrbis, quam misisti, multa loca ad calcem signata habet, quæ forte nunquam Constantinopoli fuerunt, quædam omisit, alia perperam notauit, vt appareat authorem vrbem non vidisse, Forum Constantini, in quo nos habitamus, nec serpentinam nec histriatam columnam, sed purpuream habet, qua, pictura vestra omißa serpentinam ponit: quæ tamen cum obelisco & coloßo in Hippodromo sita est: histriata in septimo colle, non procul à septem Turribus.

Per portam Ottomannicam ipsum palatium Regis intelligitur: in quo summum concilium Baßarum congregatur.

Fœminarum Græcarum, quæ lautioris fortunæ sunt, vestitus sumptuosißimus est, ex vario genere serici panni. Pectus alioqui nudum, & brachia, catenulis argenteis & aureis vestiunt. Crepidas nonnullæ habent laminis argenteis obductas. Virgines in nuptijs coronas ex auro gestant. Turcarum adeò sumptuosus non videtur, licet ma-

gnatum quoq; uxores, ex serico, auroq; vestiantur. Vtræq; procaces, peruicaces, dicaces.

Græcæ, in templis separatas aulas habent, quibus cancelli obijciuntur, ne à viris conspici possint. Domi quoque peregrinis non patent, sed abdunt se ingredientibus. Verùm habitus Græcorum & Turcarum varij suo tempore picturam dabo. Nunc per occupationes pictoris, qui unicus hîc ex Gallijs est, suasq; merces magni æstimare solet, non licuit mittere.

Supersunt paucæ familiæ ex Nobilitate Græca. Duo fratres Palæologi, quorum alter potentia & odio Michaëlis Cantacuzeni, supremi publicani, compulsus, ad regem Tartarorum (affinem puto) abijt: alter cum filijs, Galatæ siue Peræ trans sinum agit. Cantacuzenorum duæ casæ. vna in Pera: altera in Achilo, oppido Ponti Euxini. Offendi quoq; primo anno, quo huc veni, senem quendam in Patriarchatu, Italicè & Græcè peritum, de familia Cantacuzenorum: quem non ita pridem in monte sancto Calogerum factum esse dicunt.

Raliorum duæ casæ: & de Assanis fœminæ tantum supersunt.

Rhetoris nomen & titulus. Ἰωάννης Ζυγομαλᾶς, ἤτοι τῆς ὲν Κωνσταντίνου πόλει μεγάλης ἐκκλησίας. Patria, Nauplia in Peloponneso

ponneso est. Officium, cancellarium quasi, aut verius, interpretem in Græca pura, Latina, & Italica lingua apud Patriarcham agere: si vel literæ, vel peregrini harum linguarum Patriarchæ obueniant. Humanitas eius ex literis conspicietur. Excedit annum septuagesimum.

Filio ipsius nomen est Θεοδόσιος Ζυγομαλᾶς ὁ ναυπλοιος πρωτονοτάριος τῆς ἐν Κωνσταντίνου πόλει μεγάλης ἐκκλησίας. Officium eius inter præcipua est, nomine Patriarchæ ad reliquos Patriarchas, metropolitas, archiepiscopos, episcopos, familiares, & ecclesias, litteras, & mandata, aliaq; ad Patriarchatum pertinentia scribere. Cumq; iuuenis adhuc, 28. fortè annorum, ingenio & doctrina valeat, in Patribus quoq; mediocriter versatus sit: opera ipsius diligenti Patriarcha plurimùm vtitur.

Ratio victus hæc est. Calogeri (de quorum grege Patriarcha, Metropolitæ & Episcopi quoq; sunt) nunquam carnibus vescuntur, sed vt plurimùm piscibus: quando tamen per rationem ieiunij licet. nam toto Quadragesimali tempore, cum septimana sancta, die quoq; Mercurij et Veneris, à festo Ascensionis Christi, vsque ad 1. Augusti, & per reliquos 14. dies, ad festum Assumptionis vsque Mariæ, etiam à piscibus, lacticinijs, & ouis, tam clerici

quam

quam laici, abstinent: de conchis marinis, sardellis, ostreis, oryza, hordeo, acetarijs, raphanis, oliuis, alijsq; fructibus, quos per integrum ferè annum habere possunt, victitantes.

Patriarcha, 30 circiter personis victum et amictum præbet. Numerus conuictorum eius status non est. Sed cum plerumq; metropolitæ, & episcopi, ob res suas apud Patriarcham, vel summum Baßam, expediendas, Constantinopoli agant: ad mensam eos inuitat: aut in absentia ipsorum, sacerdotes & familiares quos vult.

Superest vt catalogum librorum, qui Græcè manuscripti hîc extant, mittam. Annales Michaëlis Glycæ, Constantinus Manasses, Laonicus Chalcondyles, Historici. χρισοδούλου μοναχου libri tres contra Iudæos. Iosephi monachi, cognomento παριεννίου, orationes Theologicæ, quas tempore Manuelis regis plærasque in palatio Regio, & templo Apostolorum dixit, de Trinitate, proceßione Spiritus sancti tantùm ex patre. γρηγορίου τῆς παλαιᾶς ῥώμης καὶ πετρου τοῦ φιλοσόφου διάλογοι. Iohannis Damasceni κεφάλαια ν. περὶ τῆν αἱρέσεων. ἐκκλησιαστικὸς διάλογος ταπεινοῦ σιμεὼν, ἀρχιεπισκόπου θεσσαλονίκης κατὰ πασῶν τῆν αἱρέσεων.

καὶ

καὶ περὶ τῆς μόνης πίστεως τοῦ θεοῦ. Epitome Iuris & Canonum Apostolicorum. τυπικὸν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τῆς ἐν ἱεροσολύμοις ἐναγόντος λαύρας. τοῦ ὁσίου πατρὸς Σάβα ἐξηκοντάβιβλον.

In patriarchatu extat maximum opus, titulo: συναγωγὴ ἐκτάσεων ἀπὸ διαφόρων ἁγίων πατέρων καὶ θεολογικάλων εἰς τὴν βίβλον τὴν ψαλμῶν, συλλεγεῖσα παρὰ τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Καισαλείας Νικήτα. Pandecta, continens summa argumenta Canonum Apostolicorum, septem Synodorum vniuersalium, & prouincialium, epistolarum Synodalium: Acta vero sextæ & septimæ Synodi perfecta. Cui addita est ἐκτασις τῶν θείων κανόνων τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τοπικῶν: ποιηθεῖσα τῷ μοναχῷ τοῦ Ζωναρᾶ. Audio etiam, in vicina insula Chalce haberi ἁγαθίου καὶ ἐννεπίου historias. Horum librorum quilibet, non nisi magno precio comparari potest.

Postremò indicauit mihi Theodosius Zygomalas, se Humanitati tuæ scribere, quòd nomina Metropolium & Episcopatuum Græciæ à me acceptu-

rus

ceperus sis. de quo tamen prius me nihil monuerat: nec tibi vt mitterem collegerat. Sed hæc conscribendi occasio erat: quòd ante annum à Dauide Chytræo per literas rogatus fuissem: vt similibus de rebus excellentiam eius, historiæ causa, certiorem facerem. Cui vt gratificarer, meoq; satisfacerem desiderio: Quæstiones aliquot de ecclesijs & fide Græcorum conscripsi: Theodosium rogans, vt operam suam in ijs certificandis mihi præstaret. Quod cum promittens mercedem peteret, aliquot Taleros, cum spe aliorum quoque, ipsi dedi, si diligentem operam præstaret. post annum demum ad aliquas saltem responsum extorsi. Sed nec tibi, nec D. Chytræo transmittere volui: donec obscura dubiaq; explicet: &, quæ deesse videntur, compleat &c.

SITVS CONSTANTINOpolis, ex Cœlij Aug. Historia Saracenica, circa annum Christi 718.

COnstantinopolis vrbs est cum maxima atque ornatißima, tum loci natura & arte munitissima, ad Bosphori Thracij, vbi exiguo tantum dirimente

mente freto Europa Asiæ penè coniungitur, fauces, quibus in Propontidem exoneratur, sita: vbi modicus sinus ab oriente in occidentem sinuosis portuosus lateribus panditur, ob id etiam Cornu appellatus, quòd septem vrbis collibus in eum prominentibus multiplices quasi ramos, vt cerui cornua, habeat. inter hunc sinum & Propontidem mons quidam excurrit, peninsulæ siue Cherronesi formam habens, qui ab occasu in ortum circiter 30. stadia, non tamen admodum in altum aßurgens, qua Propontis est, perpetuo iugo eius faucibus obuerso excurrit. à Septentrione verò, qua in Cornu (quem sinum esse diximus) vergit, septem habet annexos colles, ex quibus quatuor in sinum prominent: et qui Bosphoro alluitur, maximus est, & quasi trianguli basim efficit. nam triquetra est peninsulæ & vrbis forma. Habet hic duo promontoria: vnum, quod Propontidem intuetur, occidentale Hebdomi: alterum septentrionibus obuersum, quod sinus fauces à ventorum iniuria tutas reddit, Chrysoceras nuncupatum. à quo si lineam ad septimum & intimum omnium collem, qui sinum itidem ab occidentali vento tuetur, ducas, Galatæ siue Peræ planiciem, intra arcus, quem perpetuum Cherronesi iugum facit, sinum incluseris. Sinus longitudo circiter sexaginta stadiorum est, in cuius intimo recessu Cydri et Barbysæ fluminum

minum ostia sunt: latitudo autem varia, vbi maxima sex stadiorum: vbi verò minima, trium. Fauces eius angustißimæ sunt. nam et ab Septentrionali parte, in qua Pera est oppidum, promontorium in meridiem obuersum prominet Metopicum atque Cyclobium: & aliud ab Asia, medijs sinus faucibus obiectum, Damalicum appellatum. Cherronesus hæc ab occasu, qua in parte continentem Thraciam habet, isthmo sinum hunc à Propontide separat. Isthmi latitudo est, vbi septimum collem & interiorem vrbis angulum contingit passuum quinquaginta: vlterius verò maior. In hac igtur peninsula sita est Constantinopolis, olim Byzantium appellata: cui in altero sinus littore oppositum est Pera oppidum, olim Galata, quatuor & ipsum promontoria in Cornutum sinum immittens: & in Asia ex opposito, Chalcedon. Sinus siue portus fauces, vbi angustißimæ sunt, catena clauduntur, quæ ab Phanea turri ad Chrysoceram promontorium ædificata, ad Galatæ promontorium Metopicum, vbi aliud propugnaculum est, trahitur. Vrbs ipsa duplici muro, duplicique latißima & profundißima fossa, frequentibusque turribus ac propugnaculis munita est. nam circum circa planiciem habet: media verò vrbis pars paulùm collibus sublata consurgit. totus vrbis ambitus est circiter XIII. M. P.

Hanc

Hanc talem & tantam Constantinus, vbi prius Byzantium erat, ædificauit Imperij sedem, et omnia Romanæ vrbis ornamenta in eam, non satis sano consilio, transtulit. nam etsi locus ipse ad imperij sedem aptißimus videatur, cœlum tamen & fatum hanc vrbem Romani Imperij sedem esse non patiebantur. Vt enim singulæ non modò regiones, verùm etiam vrbes sua fata moresq; suos proprios & ritus habent: sic illa in alium locum transferri non tutò possunt, etiam si homines ipsi & leges transferantur. Cœli nanque temperies hominum mores mutat, cum quibus et fata ipsa commutantur. quod sic esse, exitus comprobauit. Imperio enim ferè in Asiam translato, Imperatores ex ea prouincia legionesq; Romanæ deinceps fuerunt: quæ & Græca leuitate & ambitione in factiones diuisæ atque Asiæ mollicie eneruatæ, barbarorum incursiones repellere non potuerunt: cùm interea Italia & Roma, orbis terrarum arx, capite carens, atque militari disciplina amißa, omnibus gentibus prædæ esset. Sic imperium illud, quod vt arbor bona, in proprio solo optimos fructus ferebat, in alienum cœlum et solum translatum breui interijt.

DE VRBE ATHENARVM, qualis ea hodie sit, & monte Helicone.

Μαρτίνῳ τοῦ Κρουσίῳ, ἐν κυρίῳ φιλτάτῳ.

Μη ἀγνοείτω δὲ σου ἡ φιλία (ἣν καὶ αὐτὸς ἀσπαζόμενος θεμέλιον κατατίθημι: ὃ ὁ πᾶς αἰὼν οὐκ ἐξαλείψειεν) ὅτι ὃ ἠρώτησάς με περὶ τῆς ἐπισήμων ἀπορθήτης καὶ ἔτι διαμενουσῶν πολεων: γράψας ἔκθεσιν τῶν μητροπόλεων (χαριζόμενος σοι) ἄλλα τὲ τίνα μερικῶς, ἃ ἤκουσα πρὰ τοῦ μακαριωτάτου πατριάρχου Αλεξανδρείας, ἐντυχόντος ἐνταῦθα περίσου: τοῦ λογίῳ κυρίῳ Γερλαχίῳ δέδωκα πέμψαι σοι: δηλουμένου ἐν αὐτῇ καὶ τὰ τῆς ἐπισήμων πολεων.

Τὰς δὲ Αθήνας πολλάκις ἴδον (ναύπλοιος γὰρ εἰμι, πελοποννήσιος: ἡ πλησίον Αθηνῶν κεῖται) αὐτάς τε διῆλθον, ἀκριβῶς φιλοπραγμονήσας πάντα: τόν τε ἄρειον πάγον, τάς ποτε ἀκαδημίας, τὰ Αριστοτέλους, τὸ πάνθεον, οἰκοδομὴν νικῶσαν πάσας οἰκοδομάς: γλυπτῶς ἐκτὸς διὰ πάσης ἑαυτῆς ἔχουσαν

ϲαν τὰς ἱϛορίας ἑλλήνων, καὶ ταῦτα τὰς θείας. καὶ μετὰ τῶν ἄλλων, ἐπάνω τῆς μεγαλης πύλης, ἵππους δύο φρυασσομένους ἀνδρομέαν εἰς σάρκα, τοῦ δοκεῖν ἐμψύχους: οὓς λέγεται ὅτι ἐλάξευσε πραξιτέλης: καὶ ἔϛιν ἰδεῖν διϊκνουμένην καὶ λίθων τὴν ἀρετῆς: θεάϲασθαί τε καὶ ἄλλα, θαύματος ἄξια. Οὐ λέγω τὸν βουνὸν τὸν καταντικρὺ, βοτάνην πᾶϲαν (εἰπεῖν) ἰατρείας ἁπάσης πρόξενον ἐμπεριεχοντα: ὅν κῆπον ἀδώνιδος ὀνομάζω. ἢ ἀέρων εὔπνοιαν, ἢ ὑδάτην πότιμον, ἢ ἀγαθῶν ἄλλων. ἐξ ὧν συμβαίνει, οὐ νῦν Αθηναίους, ἤδη βαρβαρωθέντας, φύσει μνήμονας καὶ εὐφώνους εἶναι: μέλεσι διαφόροις θέλγειν, ὡς σειρήνων μέλη, οὐ ἀκούοντας. Οὓς εἴγε Ορφεὺς (ὃς θῆρας καὶ λίθους ἐλέγετο θέλγειν) ἢ μεθυμναῖος τέρπανδρος, ἢ Μαρσύας (ὃς ἀντήρισεν Απόλλωνι) ἤκουσε, φύσει τῆς τέχνην νικῶντας: ἐξεπλάγηϲαν καὶ οὐ αὐλοὺς ἔρριψαν ἄν, καὶ καλάμους συνέτριψαν.

Αλλὰ τὶ τὴν Αθηνῶν μνησθεὶς, μακρολογῶ, δέρμα λειφθεισῶν τοῦ πάλαι ποτὲ ζώου; Αἱ ἀληθεῖς Αθῆναι, αὐτοὶ νῦν εἰσιν, ὡς ἀκούομεν: ὡς καὶ ὁ Ελικὼν, τὸ τῆς Βοιω-

τίας ὄρος, ὃ ἀνῆλθον κορυφῆς ἄχρι. Εἰσελθὼν δὲ τὰ νάπη ἐκεῖνα πραγματικῶς καὶ αἰσθητῶς, τὰ ἐκεῖ εὔλειμα, τῆς τε παρνασίας διάφνης γευσάμενος, καὶ τὰς μούσας ἐν πιερίᾳ ζητήσας, ἢ πηγασίαν κρήνην, ἢ τὴν ᾀδομένων τι: ὡς εὗρον οὐδὲν, ἔγνων ὁ μάταιος ἐγὼ, πῶς ταῦτα μὲν ἦν ὅτε ἦσαν, τόποι καὶ διατριβαὶ σοφῶν. ἀπέστησαν δὲ τὰ καλὰ. ὡς δ' ὁρῶ, πρὸς τοὺς σοφοὺς Γερμανοὺς ὑμᾶς μετῴκησαν. καὶ νῦν οἰκήτορες ὑμεῖς αὐτὴν: οἱ τὴν σοφίαν μετιόντες, καὶ ἔργον ἔχοντες: οὐ πάρεργον, ὡς ἡμεῖς: τῇ ἀκόνῃ θηγόμενοι διαπαντὸς τὴν λόγων: καὶ ταῖς ἐπιστήμαις λαμπρυνόμενοι: καὶ εἰς τὸν ἀληθῆ ἑλικῶνα ἀναβαίνοντες ἀόκνως καὶ ἀπονητὶ: καὶ τοῦτον οἰκοῦντες ἐπ' εὐτυχίᾳ, ἡμᾶς ἐξώσατε τὴν λόγων. Ἐξ ὧν εἰ μὴ καθημέραν ἡμεῖς ἀρδοίμεθα: λείπεται τὸ σιγᾷν. Σοφίαν γὰρ, ἢ μαθήματα, δοῦλοι ὄντες, νῦν οὐκ ἔχομεν. Εἶεν.

Περὶ δὲ βιβλίων ἁπλῶν τῆς δημώδους φωνῆς, ἢ λεξικοῦ, ἰσθι, οὐδὲν τοιοῦτον τινὶ πεποίηται. οὔτε τὰ τὴν διαθηκῶν ἐσαφνηνίσθη.

πόλιν

πόλιν γὰρ (εἰπεῖν) οἰκοῦμεν, ἣν Πλάτην ὁ θεῖος ἔκτισε. καὶ ὅτι οὔτε ὁ μισθός ἐστιν οὐδεὶς τούτην ἕνεκα, οὔθ' ὁ κοπιάσων. ἂν δὲ τὶς τῶν αὐτόθι πλουσίων, καὶ βοηθεῖν ἡμῖν ἐθελόντην, τοιαῦτα βούληται: πεμψάτω τὸν μισθὸν: καὶ ἔργον ποιήσομεν. καὶ δι' ἔτους ἑνὸς (συνυπουργούντην μοὶ τῶν ἄλλων σπουδαίων τῶν ἐνταῦθα μισθῷ) τελειώσω, καὶ ὑμῖν πέμψω, μεθ' ὅσης τῆς προθυμίας, κοινωφελῆ ἐσόμενα, & cætera.

Ἐῤῥωμένως μοι δαβιώης, ἀνδρῶν βέλτιστε: εἰς εὐφροσύνην μὲν τῶν ποθούντην σου ἀκούειν τὰ σπουδαῖα ἔργα: τῇ δὲ σῇ φήμῃ τὰ ὀστὰ πιαινομένων: εἰς χαρὰν δ' ἀνεκλάλητον τῶν ἐγγὺς κατεντρυφώντην τῶν ἀρίστων σου διδαχῶν, καὶ ἐφορώντην τὴν θείαν σοῦ θέαν: ἣν ἀξιωθείημεν, χριστὲ βασιλεῦ, καὶ ἰδεῖν, καὶ τὰ φιλικὰ λόγοις πλατύτερον ἐξαγγεῖλαι. οὐ γὰρ δυνατὸν, γραφῇ τὰ τῆς ψυχῆς νοήματα πάντα ἐμφανίσαι: οὐ μόνον δειλίᾳ, ἀλλ' ὅτι καὶ πᾶσα φωνὴ, ἐλάττων ἐστὶ τῆς διανοίας τοῦ λέγοντος: διότι ὁ λόγος, ὡς αὐτὸς οἶδας πάντην ἄριστα, ἀσθενέστερόν

πως πέφυκε δακονεῖσθαι τοῖς νουμένοις. Ασθενὴς ἡ δάνοια ἡμῶν, ὡς ἀμαθῶν: ἀσθενεστέρα δὲ, ἡ γλῶσσα. ὅθεν καὶ τὸ ἀκαλλὲς καὶ ἄμορφον τὴν πρόντην μαρτύρεται: καὶ ἔξεστιν, ἐκ τὴν γέγραμμένων ἰδεῖν. Απὸ Κωνσταντινουπόλεως, ἀνθεστηριῶνος ι ε. ζ π δ ἀπὸ τῆς κτίσεως τοῦ πάντος.

Ο κατὰ πάντα ὑμέτερος φίλος Θεοδόσιος Ζυγομαλᾶς, πρωτονοτάριος τοῦ μεγάλης ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως.

D. MARTINO CRVSIO, in Domino carissimo.

NOn ignoret Beneuolentia tua (quam et ipse amanter complectens, tanquam fundamentum pono, quod nulla vnquam delebit obliuio) quod de insignibus, quæ nondum vastatæ, sed adhuc supersunt, vrbibus, de quibus me interrogasti; scripsi designationem Metropolium, vt tibi gratificarer: & alia quædam particularia, quæ ex beatiss. patriarcha Alexandriæ, cùm superiore anno hîc adesset, de ciuitatibus etiam insignioribus quædam significante audiui: dedi doctiss. Domino Gerlachio ad te transmittenda.

Athenas

Athenas verò sæpe vidi (Nauplius enim sum, Peloponnesius, quæ ciuitas Athenis vicina est) & perlustraui, accuratè & curiosè omnia obseruans; Areopagum; Academias, Aristotelis Lyceum, Pantheon, ædificium omnia alia ædificia superans, sculptas extrinsecus circumquaq; Græcorum, et diuinas etiam historias habens: et inter alia, super magna porta, equos duos in humanam carnem ferocientes, non aliter ac si viuerent, quos Praxiteles sculpsisse dicitur. in quibus videre licet virtutem lapides etiam penetrantem (ex lapidibus etiam emicantem) & alia, admiratione digna. Nihil dico nunc de colle, qui è regione est, omnes herbas, & vniuersæ medicinæ hospitium publicum, vt ita loquar, continente. quem Adonidis Hortum nomino. nihil de aëris temperie, de aquarum dulcium & aliorum bonorum vbertate. Vnde euenit vt præsentes Athenienses, qui nunc barbaros mores induerunt, memoria tamen valeant, & suaui voce præditi sint, & diuersis cantilenis ac modulationibus, Sirenum more, auditores demulceant. Quos si Orpheus (qui feras & lapides cantu mulsisse dicitur) vel Methymneus Terpander, aut Marsyas (qui cum Apolline certauit) audiuisset, natura artem superantes; obstupuissent, & tibias abiecissent, & calamos fregissent.

Sed quid Athenarum mentionem faciens, longa oratione vtor? cum nihil aliud sint, nisi pellis illius animalis, quod olim fuit. Veræ Athenæ illic (in Germania) sunt, vt audimus, sicut et Helicon, Bæotiæ mons, quem vsque ad verticem conscendi. Ingreßus autem saltus illos gnauiter, & prata illa florida, & Parnasias lauros gustans, & Musas in Pieria, ac Pegaseum fontem, & alia, quæ celebrantur, quærens: vt nihil eorum inueni, cognoui ego ineptus, Quod olim quidem hæc loca fuerint scholæ sapientum virorum, nunc autem abierunt ex his locis Musæ vt video, & nobis relictis, ad vos sapientes Germanos migrarunt. ac vos ipsorum incolæ nunc estis: qui Sapientiam colitis, rem ipsam, non parerga, vt nos, habentes: cote eloquentiæ acuti, & scientijs illustrati, in verum Heliconem impigrè, sine labore ascenditis, & hunc feliciter incolentes, nos ex sede doctrinarum eiecistis. quibus si non quotidiè reficeremur, planè silendum nobis esset. Sapientiam enim et doctrinas, iam non amplius habemus. Sed hæc relinquo.

De libellis autem populari lingua scriptis, aut de Lexico, scias nihil tale à quoquam editum esse. neq; Testamenta (vulgari lingua) quisquam interpretatus

tatus est. ciuitatem enim (vt ita dicam) quam Plato ille diuinus condidit incolimus. Et quia merces nulla hos labores subeuntibus proposita est: nemo est, qui laborare velit. Si quis verò ex opulentioribus apud vos, opitulari nobis volens, talia expetit, mittat mercedem, & laborem suscipiemus, ac vnius anni spacio (conferentibus operas & alijs viris bonis, qui hìc sunt, pro precio) perficiam illa, & vobis mittam lubenti animo ea, quæ multis profutura esse existimo, &c. Bene & feliciter vale, vir optime, ad oblectationem eorum, qui præclaris studiorum tuorum laboribus audiendo fruuntur, & bona fama pinguefaciunt ossa tua: & ad lætitiam ineffabilem eorum, qui in optimis studijs & doctrinis tuis assiduè deliciantur, & diuino conspectu tuo coràm potiuntur. Quo, vtinam, ô rex Christe, & nobis frui aliquando liceat, vt amici animi mei propensionem latius explicare possim. Neque enim literis omnia mentis cogitata satis perspicuè declarari queunt, quia omnis vox inferior est mente dicentis. Ideo oratio, vt ipse scis, infirmius aliquantò inseruit illis, quæ mente concipiuntur. Imbecillis quidem mens nostra est, tanquam hominum ignorantium, sed multò imbecillior lingua est. idque deformitas præsentium te-

statur, & ex his, quæ à me scripta sunt, videre licet. Datæ ex vrbe Constantinopoli, 15. Aprilis. Anno à creatione mundi 7084.

Annus 7084. respondet anno Christi 1575.

In omnibus vester amicus Theodosius Zygomalas, Protonotarius magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

De Panormo, CYZICO, & PRVSA Bithyniæ vrbe: ex literis D. Stephani Gerlachij, ad M. Samuelem Heilandum doctorem ethices in Acad. Tybing.

A Best Palormus Constantinopoli 25. miliaribus germanicis, aut etiam amplius, quæ 9. vel 10. horarum spacio vento satis secundo emensi sumus. Est autem Palormus, Græcis Panormos, oppidulum vinetis amœnissimum, à Græcis vtplurimum, paucis Turcis et Italis habitatum. Vina huius loci generosissima sunt, & singulis annis in magna copia

copia Constantinopolim portantur. Duobus propè miliaribus inde, urbis antiquæ & olim maximæ, splendidißimæq; Cyzici ruinas vidimus. Sita fuit intra duos Propontidis sinus. Videtur tota ex marmore albo constructa fuisse, cuius tanta copia fuit, vt præcipuis Imperatorum & Baßarum templis Constantinopoli, & vicinis locis, materiam & splendorem dederit. Græci paruam Troiam vocant, quòd ex ruinis magnæ Troiæ, quæ 4. dierum itinere abest, constructa fuerit. Estque hodie officina marmoris, è cuius fundamentis magna quantitate effoditur, ideoq; Turcæ locum istum, miraculosum appellant. Cuniculos plurimos et transuersos ex marmore habet. videnturq; rudera operis magnificentißimi & plusquam regij. Non procul isthinc vicus ἀντίκυ est. in quo hodie metropolita Λυζικου sedem habet.

18. Octobr. Prusam metropolim Bithyniæ petij, quæ Palormo duorum dierum itinere abest. Regio intermedia plana & fertilißima est, plurimis pagis sed plerisq; incolis Turcis habitata.

Eo die pernoctauimus in urbe Lupada, muris fortißimis, sed partim deiectis, septa. Christiani tres presbyteros & sex templa adhuc ibidem habent.

Die

Die 29 prætereuntes Apolloniada monasterium metropolitanum, Prusam venimus, urbem situ amœnißimam, montique Olympo adhærentem. Distinguitur hæc in duas partes, una & superior muro clausa, arcem habet à 6. Imperatoribus Ottomannicis olim inhabitatam. Cuius hodie anterior pars siue aula molendino regio locum præbet. Interior viridarium, piscinam, balneas, & domum regiam, sed tecto & ornamentis spoliatam habet. In hac quoque urbis parte, duorum primorum regum, Otmanni & Orchan sepulcra in monasterio S. Iohannis marmore superbißimo, vidimus. Inferior urbis pars, partim receßum vallis, hortis amœnißimæ, partim radices montis occupat. Sepulcra habet cum templo augusto, Murathis secundi: & Mustafæ filij Solimanni à patre strangulati. Ecclesiam Metropolitanam ἁγίων ἀποστόλων dictam: Forum rerum pretiosißimarum ex auro sericoq; : domus amplas satisq; magnificas, hospitia peregrinis præbentes, quas Carubanzarias nominant. Extra urbem, orientem versus, Templum et sepulcrum est Baiazetis primi, quem Turcæ Tonitru appellant. E regione Templum & sepulcrum ex marmore pulcerrimo constructum. Vnde notandum Turcas tantùm 12. Imperatores Ottomannicos agnoscere, quorum 6. Prusæ, 5. Constantinopoli

nopoli tumulati sunt: contra opinionem historicorum, quorum aliqui 14. alij plures numerant. Mons Olympus altißimus, rectà vrbi imminet: in vertice semper niuosus, & ad mediam vsque partem sterilis. reliqua inferior, castanearum, malorum punicorum, aliorumq; fructuum fertilißima est. ex ventre insuper emittens tantam aquarum limpidißimarum copiam, vno quasi fonte, vt totam vrbem perfundat Dici non potest, quanta amœnitas sit montis huius, & vallis subterpositæ. Sed paucis adumbrâße hæc, prout ego inspexi ista, sufficiat. De reditu nostro nihil adhuc certi audimus: speramus sub finem præsentis anni. Constantinopoli, Cal. Febr. Anno 77.

LECTORI.

CVM Æthiopicarum ecclesiarum in Africâ, sub imperio potentißimi monarchæ Presbyteri Iohannis, vt vulgò eum nominamus, mentio, in superiori oratione facta sit: adscribam partem Confessionis fidei & religionis Æthiopum, quam, legatus Dauidis Æthiopiæ Imperatoris, ad Iohannem

nem III. Portugalliæ regem; Sebastiani, quem abhinc biennio Rex Fesæ in Africa cum exercitu cæcidit, auum missus; Christophorus Licanati, patrio idiomate Zaga Zabo, Gratia patris, appellatus, anno 1534. Lysibonæ in Portugallia, scripto complexus est. ex quo capita præcipua excerpsi. & Genealogiam Regum Portugalliæ addidi. quod regnũ, vnà cum Orientalis Indiæ imperio, nunc ad Regem Hispaniæ, ex Austriaca familia ortum, singulari familiæ illius felicitate & fato deriuari videmus.

Confessio Fidei Æthiopum integra, vnà cum epistolis aliquot Presbyteri Iohannis, ad Romanum Pontificem & Emanuelem datis, per Damianum à Goes edita, & Coloniæ apud Geruinum Calenium anno 1574. expressa est hoc titulo. De rebus OCEANICIS & Nouo orbe Decades tres Petri Martyris Mediolanensis. Eiusdem de Babylonica legatione libri III. & de Rebus Æthiopicis, Indicis, Lusitanicis, Hispanicis opuscula quædam historica doctissima, quæ hodiè non facilè alibi reperiuntur, Damiani à Goes, equitis Lusitani. Eum librum, qui vberiora de his rebus cognoscere cupient, sibi comparare poterunt.

IN

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI AMEN.

CREDIMVS in nomen sanctæ Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, qui vnus est Dominus: tria quidem nomina, vna diuinitas: tres facies, vna verò similitudo: æqualis trium personarum coniunctio, æqualis, inquam, in diuinitate: vnum regnum, vnus thronus, vnus iudex, vna charitas, vnum verbum, & vnus spiritus. Verbum autem patris & filij, verbum spiritûs sancti, & filius est idem verbum, & verbum apud Deum, & apud spiritum sanctum, & apud semetipsum, sine defectu vllo, aut diuisione, filius patris, & filius ipsius patris sine principio, nempe primo sine matre filius patris. Nemo enim nouit secretum & mysterium eius natiuitatis, nisi pater, & filius & spiritus sanctus. Is autem filius in principio erat verbum, & verbum erat verbum apud Deum, et Deus erat verbum. Spiritus patris, spiritus sanctus, spiritus filij, spiritus sanctus est. spiritus autem sanctus, spiritus sui, sine vlla diminutione, aut augmentatione. is etenim spiritus sanctus, paracletus, Deus viuus, qui ex patre & filio procedit, locutus est per os Prophetarum, & in flamma ignis

ma ignis descendit super Apostolos in atrium Sion. Qui per totum terrarum orbem denunciârunt ac prædicârunt verbum patris, quod verbum erat ipse filius. Præterea neque pater est primus inde, quòd pater sit, nec filius postremus inde, quòd filius sit: sic spiritus sanctus neque primus, neq; postremus est. Tres personæ vnus Deus, qui videt, & à nemine videtur, qui vnico suo consilio cuncta creauit. Posteà verò filius sponte propter nostram salutem, ipso patre volente, spiritu sancto consentiente, ex altissimo suo domicilio descendit, & incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria virgine, quæ Maria duplici ornabatur virginitate, vna spirituali, altera verò carnali. Et natus est sine aliqua corruptione, ipsa Maria matre post partum virgine permanente, & magno cum miraculo & arcano igne diuinitatis afflata, sine sanguine & doloribus peperit filium suum Iesum Christum, qui homo innocens & sine peccato fuit, & perfectus Deus, & perfectus homo, vnum solummodò habens adspectum. Adoleuit sensim vt infans, sugens lac Mariæ virginis matris suæ. & cum attigisset tricesimum annum, baptizatus in Iordane &c.

Et in memoriam baptismi Christi, singulis annis, omnes in Epiphanijs Domini baptizamur, id quidem

quidem facimus, non quòd ad salutem spectare credimus, sed propter Seruatoris nostri laudem ac gloriam. Neque uberiùs atq; refertiùs, spectaculis & cæremonijs, ullum aliud festum celebramus, quoniam in hoc die primò manifestè apparuit sanctissima Trinitas, cùm Dominus noster Iesus Christus baptizaretur in flumine Iordane: cùm spiritus sanctus in specie columbæ super caput eius descenderit; & vox de cœlis dixerit; Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Qui spiritus sanctus apparens in specie albæ columbæ, cum facie & figura patris & filij apparuit in una diuinitate. Pariq; modo Christus visus est à sanctis Prophetis per multas similitudines & formas. primùm in specie arietis albi, propter salutem Isaac filij Abrahæ, &c.

Et post aliquot paginas. Præterea sciendum, apud nos, Confirmationem & Chrisma, siue extremam olei unctionem, pro sacramento non haberi, nec in usu esse, ut video hic ex Romanæ ecclesiæ consuetudine fieri.

Nec patriarchæ, nec episcopi nostri, per se, aut in concilijs putant aut opinantur ullas leges se condere posse, quibus ad mortale peccatum obligari quis possit.

In ipsis etiam Synodorum libris constitutum à sanctis Apostolis est, oportere nos confiteri, atque

quam pœnitentiam pro magnitudine singulorum peccatorum à confessore accipere debemus. Instruunt quoq; nos, quomodo orandum & ieiunandum sit, et charitas exercenda. Præterea hoc familiarissimè vtimur, quòd statim ad pedes confessoris, cùm peccatum commissum est, accurrimus, & hoc faciunt omnes tam masculi, quàm fœminæ, cuiuscunq; conditionis sint.

Et quotiescunq; confitemur, assumimus corpus Domini, & id quidem sub vtraque specie, in pane azymo triticeo. Quòd si singulis diebus confiteamur, singulis quoq; diebus accipimus venerabile sacramentum, & id tam apud clericos, quàm apud laicos in vsu est.

Et sacramentum Eucharistiæ non seruatur apud nos in templis, vt fit hîc apud Europæos.

Nec ægroti corpus Dominicum accipiunt, nisi dum conualuerint. id fit, quoniam omnes tam laici quàm clerici, consueuerũt illud, ad minus bis in hebdomada accipere, et omnes idem volentes facere, templum accedũt. quippe nemini datur nisi in ipso templo, nec id conceditur Patriarchæ, nec ipsi Precioso Ioanni.

Vtimur etiam semper vno confessore, nec alium accipimus, nisi eo absente: quo reuerso, ad ipsum redimus. Et confessores, omnium peccatorum dant nobis ex ecclesiæ potestate absolutionem, nullo casu

Episco-

Episcopis, aut Patriarchæ reseruato, quamuis grauissimo. Vlterius presbyteri non possunt audire confessionem eius, cui confitentur.

Præterea presbyteri et monachi et omnes Ecclesiæ ministri, apud nos suo labore viuunt. Quippe ecclesia nullas habet decimas, nec accipit. habet tamen prouentus et agros, quos ipsi clerici et monachi fodiunt, aut sua aut aliena opera colũt, et nullas alias habent eleëmosynas, præter eas, quæ gratis in templis offeruntur in exequijs mortuorum et alijs pijs rebus.

Nec eis licet vicatim mendicare, nec à plebe aliquid eleëmosynarum extorquere.

Item in nostris templis, singulis diebus, vna tantùm celebratur Missa, quam sacrificij loco habemus, nec plures ex veteri instituto celebrare licet. pro qua quidem Missa, nullũ preciũ aut mercedem accipimus.

In quo ministerio sacramentum Eucharistiæ non ostenditur, vt hic video fieri.

Inibiq; omnes Sacerdotes, diaconi, subdiaconi, & templum accedentes, corpus Domini accipiunt.

Et nullam pro remissione animarum facimus Missam. sed mortui cum crucibus & orationibus sepeliuntur in certo loco, super quos mortuos, præcipuè inter alias orationes, initium Euangelij Ioannis dicimus, & sequente die à sepulto mortuo eleëmosynas offerimus. id etiã postea facimus certis diebus, in

quibus omnibus epulis funebribus indulgemus.

De Animarum propagatione, omnes sine vlla hæsitatione in hac sententia versantur, omnium hominum animas ab Adam profluxiße, & vt caro nostra est ex seminio carnis Adæ, ità quoq; anima nostra, quasi lucerna in anima Adæ accensa, originem suam & naturam ex Adam trahit. Ex quo apparet, nos omnes semen esse Adæ ex carne & anima, &c.

Preterea constitutum est à sanctis Apostolis in Synodorum libris, Clericos vxores licere ducere, id quidem postquam cognitionem aliquam habuerint rerum diuinarum. Deindè inito matrimonio, in ordinem presbyterorum recipiuntur, in quem nisi post annum trigesimum nemo recipitur. nec spurij, nec nothi aliqua ratione ad eundem sacratißimum ordinem intromittuntur, qui ordines à nemine, nisi ab ipso patriarcha dantur. Mortua tamen prima vxore episcopi aut clerici aliam ducere non poßunt, nisi patriarcha ad id dispensauerit (quod aliquando indulgetur magnatibus propter publicum bonum) nec habere concubinam, nisi se voluerint à sacris abdicare. quod si fecerint, res diuinas amplius tractare non poßunt. Et hoc tam stricte seruatur, vt ij presbyteri, qui secundò vxorem duxerint, ne candelam quidem vnam ecclesiæ consecratam, in manum auderent accipere. Quòd si inuentum fuerit,

fuerit, episcopum aut clericum filium spurium habere, ab omnibus beneficijs, à sacris ordinibus abdicatur. quorum bona, si sine legitima prole discedant, ad Preciosum Iohannem, & non ad Patriarcham, veniunt. Et id, quòd presbyteri apud nos uxores posideant, ex Paulo accepimus, qui mauult clericum & laicum nubere, quàm uri. Is quoque inquit, oportere Episcopum virum unius uxoris esse, & irreprehensibilem, sobrium: pariq; modo vult esse diaconos. Atque etiam, ut Ecclesiastici perinde atque seculares, proprias uxores ex legitimo matrimonio habeant. Monachi tamen uxores non ducunt. Et tam laici quàm clerici unam tantùm posident uxorem, & matrimonium non contrahitur pro foribus sacræ ædis, sed in priuatis domibus paranymphorum. Ex sanctorum Apostolorum constitutione habemus, ut si sacerdos fuerit comprehensus in adulterio, homicidio, latrocinio, vel falsum testimonium tulerit, ut à sacris ordinibus desituatur, ac, ut cæteri malefici, puniatur. &c.

De statu PATRIARCHÆ ac Imperatoris nostri, primùm sciendum, solenni ritu Patriarcham nostrum ab Hierosolymitanis Monachis nostris, qui ibi ad sepulcrum Domini habitant, suffragijs creari, idq; hoc modo. Vita defuncto Patriarcha, statim Imperator noster Preciosus Iohannes nuncium

aliquem expeditum mittit Hierosolymam ad Monachos ibidem agentes, vt dictum est: qui, nuncio accepto ac muneribus, quæ Imperator dominus noster ad sanctum sepulcrum dono mittit: continuò alium Patriarcham suffragijs plurium eligunt. Sed fas non est, alium, quàm Alexandrinum, eligere, ac moribus incorruptum. Quo creato, suffragia sua obsignant, caq; legato, qui ad id venit, in manibus tradunt. Is statim Cairum contendit. quò vbi ventum est, Patriarchæ Alexandrino, qui ibi semper sedes habet, creationem illam legendam porrigit. Cognito autem, quem ex Alexandrinis delegerunt, virum tantis honoribus destinatum, cum legato in Æthiopiam mittit, qui ex veteri instituto Monachus ordinis diui Antonij eremitæ debet esse, cum quo in Æthiopiam confestim nuncius proficiscitur. vbi cum magno gaudio & honore ab omnibus excipitur. In quo negocio aliquando annus vnus & alter transigitur, interimq; Preciosus Ioannes de prouentibus ipsius Patriarchæ pro libitu dispensat.

Præcipuum autem Patriarchæ officium est, sacros ordines dare, quos nemo, ipso excepto, aut dare, aut auferre potest. Cæterum nullum Episcopatũ, aut Ecclesiæ benefecium in vllos confert. id solum ad Preciosum Ioannem spectat, qui omnia pro suo arbitrio dispensat. Mortuoq; Patriarcha, cuius di-

tiones

tiones ac prouentus amplißimi sunt, ex solido omnium illius bonorum fit hæres. Est præterea Patriarchæ munus, excommunicationibus aduersus contumaces procedere, quarum tam arcta obseruatio est, vt præuaricatori pœna perpetuæ inediæ vsque ad mortem infligatur. Indulgentias nullas dat, neq; concedit. Nec pro vllo delicto, quantumcunq; magno, cuiq; Sacramenta Ecclesiæ interdicũtur, nisi tantùm propter homicidia. Ipsum nomen Patriarchatûs, nostro idiomate Abunna dicitur. Cæterùm qui nũc hoc soliũ tenet, proprio nomine, quod ex baptismate accepit, Marcus vocatur, vir 100 annorum, aut vltra.

Sciendum etiam, apud nos Calendis Septembribus annum incipere, qui dies semper incidit in vigiliam Ioannis Baptistæ. Reliqui dies festi, vt natalis Domini, Paschæ, aliiq; deinceps eodem tempore apud nos celebrantur, quo in Ecclesia Romana. Id quoq; dißimulanter prætereundum non est, apud nos diu Philippum Apostolum, Euangelium & fidem Seruatoris Christi prædicâße.

Quod si libeat scisciatari de agnomine nostri Imperatoris, is sibi persuasum habeat, illum perpetuò appellari Preciosum Ioannem, & non Presbyterum Ioannem, vt hìc falsò paßim iactatur.

Regnorum autem et Imperij succeßio, non in filium maximũ natu transmittitur, sed ad eũ, in quem

pater id conferre vult. Et is qui modò imperiũ tenet, ordine nascendi tertius est, quod pia quadam reuerentia emeruit. cùm enim filij à patre moribundo, in regijs solijs sedere iuberentur, cæteris id facientibus, solus id facere recusauit: absit, inquit, id mihi tribui, vt in cathedra domini mei sedeam. Qua pietate à patre circumspecta, ei regna ac Imperium tradidit. vocatur is autem Dauid. Cuius imperij ditiones, tam Christianorum, quàm Ethnicorum, miræ amplitudinis sunt. In quibus multi reges et reguli, comites, barones ac proceres, multaq; nobilitas inest, ad eius mãdata obtemperantissima. In cuius omnibus ditionibus, nulla præter peregrinam habetur moneta. Aurum verò et argentum pondere datur, et accipitur. Oppida et ciuitates apud nos permultæ sunt, sed non tales, quales hîc in Lusitania videmus. id magna ex parte inde venit, quod Preciosus Ioannes semper in castris & tentorijs versetur. Quæ consuetudo ideò recepta est, vt Nobilitas continuè & perpetuò, se in rebus militaribus exerceat. Nec illud prætereundum videtur, nos ab omnibus lateribus circundatos esse ab hostibus nostræ fidei, cum quibus crebrò confligimus, semper secundo Marte usi, quas victorias numinis auxilio imputamus.

Ius autem scriptum apud nos in vsu non habetur, nec litigantium querelæ libellis, sed ore peraguntur:

guntur. id fit, ne lites auaritia iudicum & patronorum in longum protrahantur.

Habemus quoque à temporibus reginæ Saba circumcisionem, quam ad hanc usq; diem seruamus. Et post circumcisionem masculi baptizantur ad quadragesimum diem, mulieres verò ad octoagesimum, nisi aliqua interuenit ægritudo, vt opus sit festinatione. Nec ob circumcisionem gloriamur, nec etiam cæteris Christianis nos putamus ob id nobiliores, nec Deo acceptiores esse, apud quem nulla est acceptio personarum, teste Paulo, qui etiam ostendit nos saluos fieri non propter circumcisionem, sed propter fidem, quia in Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed noua creatura. Is autem Paulus non prædicauit ad destruendam legem, sed ad stabiliendam, qui circumcisus quoque fuit, & ex semine Beniamin. is quoque Timotheum iam Christianum factum, ex matre Hebræa & ex patre gentili natum, circumcidit, sciens Deum circunctionem ex fide, & præputium per fidem iustificare &c.

Est etiam moris apud nos, vt mulieres grauidæ, ante partus tempus, semper confiteantur, ac vt corpus Dominicum confessæ accipiant. & eæ quæ hoc non faciunt, ac puerorum patres, si eas ad id non impulerint, habentur impij & mali Christiani.

Prohibitum est etiam apud nos, ne aut gentes, aut canes, aut alia huiusmodi animalia, in templa nostra intrent. Item non datur potestas nobis adeundi templum, nisi nudis pedibus, neq; licet nobis in ipso templo ridere, obambulare, aut de rebus prophanis loqui, nec spuere, aut screare, in ipso templo. Quia ecclesiæ Æthiopiæ non sunt similes terræ illi, vbi populus Israël comedit agnum paschalem, decedens ab Ægypto, in quo loco Deus iußit eos comedere indutos calceamentis, & zonis accinctos propter terræ pollutionem. Sed similes sunt monti Sinai, vbi Dominus locutus est Mosi, dicens: Moses, Moses, exue calceamenta tua, quoniam terra, quam pedes tui premunt, sancta est. Et hic mons Sinai parens nostrarum ecclesiarum est, ex quo suam acceperunt originem, ita vt Apostoli ex prophetis, & nouum testamentum à vetere &c.

Item, ex lege Moysi, & Apostolorum instituto, non licet nobis cibos immundos comedere. id facimus ad omnem legis ac scripturam obseruationem. Cum autem in Lusitaniam veniens, crebras disputationes & contentiones cum doctoribus quibusdam Didaco Orthysio regis sacelli decano, & Petro Margalho, de delectu ciborum habuerim: de hac re dicere non erit incongruum.

Et po-

Et postea. Quamobrem indignum est, peregrinos Christianos tam acriter ac hostiliter reprehendi, vt ego de hac re, & de alijs, quæ minimè ad veram fidem spectabant, reprehensus fui. Sed multò consultius erit, huiusmodi Christianos homines, siue Græcos, siue Armenios, siue Æthiopes, siue ex quauis septem Christianorum Ecclesiarum, in charitate & Christi amplexibus sustinere, eos sine contumelijs permittere inter alios fratres Christianos viuere & versari, quòniam omnes filij baptismi sumus, & de vera fide vnanimiter sentimus. Nec est causa, cur tam acriter de cæremonijs disceptetur, nisi vt vnusquisque suas obseruet, sine odio & infectatione aliorum. nec commercijs Ecclesiæ ob id excludendus est, si peregrè in alienis prouincijs domesticos ritus obseruet, &c.

Omnia hæc, de fide, religione, ac patriæ nostræ statu, ego Zaga Zabo, quod gratia patris interpretatur, Episcopus & sacerdos, ac Bugana Raz, nempe prorex prouinciæ, quæ Bugana dicitur, nec tibi in Christo filio meo charissimo Damiano petenti, nec vlli homini talia flagitanti denegare potui, aut negare licuit duabus de causis. quarum prior est, quòd in mãdatis habeo à potentissimo domino meo Precioso Ioanne Æthiopum Imperatore, omnibus me interro-

gantibus

gantibus de fide, religione, ac prouincia nostra, & ne quid clàm haberem, sed ex fide veritatem rerum, scriptis, & verbis exponerem. Secunda, quòd operæprecium existimarem, mores, ritus, instituta nostra, & locorum situs in publicam notitiam venire. Quas res nemini ad hunc vsque diem scripsi, nec verbis exposui, non quòd ad id laboribus meis parcere vellem, sed quòd nullus Christianorum hominum, postquam in Lusitaniam veni, à me talia cognoscere appetiuit. De qua re non potui, nec possum satis mirari. Te verò, quem rerum nostrarum cupientissimum multis argumentis iudico, per Christi plagas ac crucem oro, vt hanc nostram fidei, ac religionis confessionem, in linguam Latinam conuertas, vt per te liceat omnibus pijs Europæis Christianis, ritus ac integritatem morum nostrorum intelligere.

Porrò si tibi inter tuas peregrinationes Romam petere contingat, tunc nomine meo Pontificem, ac venerandos Cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, cæterosq; bonos Christi cultores, per IESVM Christum, in osculo pacis (quæso) salutes, petasq; ab ipso Pontifice, vt ad me remittat Franciscum Aluarez, literis illis suis instructum, quibus domino meo potentissimo Æthiopum Imperatori respondeat, quô tandem in patriam redeam, meosq;

meosq; lares inuisam, nimium enim diu hîc detentus fui: vt ante obitum meum, qui ex nimio senio pro foribus est, mandata perferam: reliquias deinde vitæ, transacta hac legatione, Deo consecrem, diuinisq; rebus totus vacem. Cæterùm te oro, si aliqua in nostris scriptis non fuerint satis compositæ aut ordinatæ, vt ipse tu ad phrasim Latinam coaptes, sed ità, vt nihil de sensu immutes. Postremò te obsecro, vt inter vertendum exquiras diligenter vetus & nouum testamentum, vt intelligas ex quibus locis meas authoritates excerpsi, quò certius vertas. Quòd si omnia non fuerint tam feliciter tractata, quàm forsitan aliquis curiosus, aut scrupulosus exigat, id condonandum erit inopiæ & penuriæ librorum Chaldæorum, quos penes me non habeo. quos enim habui, iniquitas fortunæ in itinere perdidit. Quamobrem destitutus omnium librorum auxilio, nihil, nisi quod recens memoria adferebat, dictare potui, sed ea omnia certissima fide. Vale fili in Christo dilectissime.

Vlyssippone, 24. April.

Anno salutis nostræ

1534.

CVM

CVM interrogatus sim ab amico, quæ verba illa sint, ab Armenijs Symbolo Niceno addi solita? quorum oratio superior, fol. 26. vers. 16. 17. meminit: Et in Symbolo verba quædam nec Græcis nec latinis vsitata, sed tamen piè sententiam symboli declarantia, intexunt: ne quid, alij etiam pij lectores hac in parte desiderent: verba illa adscribam. Vbi enim nos in Symbolo canimus: Et homo factus est: Armeni addunt, Et perfectus homo factus est. Item, Ascendit ad cœlos in eodem corpore. Inde venturus est, in eodem corpore iudicare, &c.

Credimus in Spiritum sanctum, non factum sed procedentem. Qui locutus est per Prophetas & Euangelistas, qui descendit in Iordane super Christum, per quem & Apostoli prædicauerunt, qui etiam & hactenus in sanctis habitat, &c.

Et resurrectionem mortuorum, & iudicium cum anima & corpore, & regnum, & vitam æternam.

Additur etiam appendix Concilij Nicæni. Etiam qui dicunt, Fuit pater, quando non fuit Filius, &c: tales anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. Tandem sacerdos clara voce concludit symbolum: sed nos laudamus eum, qui fuit ab æterno, trinus in personis, & vnus in essentia.

Fol.

SERIES REGVM PORTVGALLIÆ ET HISPANIÆ

qui proximis trecentis annis, ac inprimis eorum, qui noſtra & patrum memoria regnarunt.

PORTVGALLIÆ.

Alfonſus *gener Alfonſi X. regis Caſtellæ.*

Dionyſius, *ab auo materno immunitatem tributi regibus Caſtellæ pendendi impetrauit.*

Alfonſus.

Petrus.

Ferdinandus.

IOHANNES I. Rex Portugalliæ, *primus fretum Herculeum transgreſſus Septam cepit.*

Henricus, *Africæ littora claſſibus luſtrare cœpit. obijt 1460.*

EDVARDVS, *Tingin & Alcazar cepit 1471.*

Alfonſus V. *Rex Portug.*

Iohannes II. *Rex Portug. obijt 1495.*

Alfonſus VI. *ante patrem obijt.*

Ferdinandus.

EMANVEL Rex Portugalliæ *florentiſſimus, ampliſſimum in India Imperium conſtituit. cœpit A. C. 1495. ſuccedens Iohanni II. Huius res geſtas duodecim libris deſcripſit Oſorius.*

Leonora *Eduardi coniunx.*

Leonora *coniunx Fridcrici III. Imp. mater Maximiliani I. proauia Caroli V.*

IOHANNES III. Rex Portugalliæ *anno 1523. cœpit. ex Catharina Caroli V. ſorore.*

Ludouicus.

Ferdinandus.

Alfonſus Card.

Iohannes IIII. *ex Iohanna Caroli V. filia.* ♀ *obijt 1544. ante patrem.*

MARIA *Philippo regi Hiſpaniæ nupta* ♂

SEBASTIANVS *poſthumus, Rex Portugalliæ, à rege Feſæ in Africa cæſus 1578. die 4. Auguſti.*

HISPANIÆ.

Ferdinandus III. *rex Legionis & Caſtellæ, qui Mauros in Beticam primus concluſit. cœpit anno Chriſti 1216. regnauit 35.*

ALFONSVS X. *cœpit 1252. à quo Tabulæ Alfonſinæ nomen habent, electus IMP.*

Sanctius IIII. *cœpit 1284.*

Ferdinandus IIII. *cœpit 1295.*

Alfonſus XI. *cœpit 1310. annis 40.*

Petrus *cœpit 1350. à fratre pulſus.*

Henricus III. *cœpit 1369.*

Iohannes I. Rex *Caſtellæ, Aragoniæ & Siciliæ.* —— Leonora.

FERDINANDVS IVSTVS Rex *Aragoniæ, obijt 1390.*

ALFONSVS MAGNVS, Rex *Aragoniæ & NEAPOLIS, ſapientiſſimus, obijt 1458.*

Petrus.

IOHANNES Rex *Aragoniæ poſt Alfonſum.*

Maria. —— Henricus III. *primogenitus Rex Caſtellæ 1390. cœpit.*

FERDINANDVS magnus, CATHOLICVS, Rex *Aragoniæ. cœpit 1475. obijt 1516.*

Iohannes II. *Rex Caſtellæ cœpit puer 1406. regnauit 47.*

Maria *nupta Alfonſo magno.*

ELIZABETH *Regina Caſtellæ, obijt 1506.*

Henricus IIII. *Rex Caſtellæ. annis 22. obijt 1475.*

Iſabella *primùm Alfonſo VI. deinde Emanueli nupta.*

IOHANNA, *coniunx Philippi archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, mater Caroli V.*

MARIA *altera Emanuelis uxor, ex qua octo liberos ſuſcepit.*

Catharina *primùm Arturo, inde Henrico VIII. Angliæ regi nupta, & poſtea repudiata.*

HENRICVS *Cardinalis, cui Hiſtoriam Emanuelis Oſorius dedicauit.*

EDuardus.

Beatrix *Caroli Sabaudi uxor.*

ISABELLA.

CAROLVS V. IMP. Rex *Caſtellæ & Aragoniæ cœpit 1516.*

Ferdinandus IMP.

Leonora *Franciſci Galli uxor.*

Catharina *Iohannis 3. R. Port. uxor.*

Iſabella *Daniæ regis Chriſtierni 2. uxor.*

Maria *Regis Vngariæ Ludoici, anno 1526 à Turcis cæſi, uxor.*

Maria, *Reinutij Ducis Parmenſis uxor.*

Catharina *Brigantina.*

PHILIPPVS REX HISPANIÆ. ♂

Iohanna, *Iohannis IIII. regis Portugalliæ uxor.* ♀

MARIA

MAXIMILIANVS II. IMP.

RODOLPHVS II. IMP.

Petrus II. Rex *Aragoniæ.*

Iacobus, *Valentiam & inſulas Baleares occupauit 1252.*

PETRVS III. Rex *Aragoniæ, primus rex Siciliæ, electis Gallis anno 1283.*

Iacobus II.

Alfonſus III.

PETRVS IIII.

Martinus *poſtremus.* ἄπους. *Aragoniæ & Siciliæ regna ſororio reliquit.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574/phys_0147

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574/phys_0148

Fol. 81. versu penultimo, & fol. 82. versu primo & secundo, lege

Similiter propria ipsius & carnalis soror, propter eius praua & malicioſiſſima inſtituta, & ſceleratam peſſimamq; vitam & mores, cum conſenſu procerum regni Perſiæ, venenum ei præbuit. atque ita ipſe quoque, ſicut Frater (quem antea veneno ſuſtulerat) ruptus eſt.

Eodem fol. versu 21. lege Inſuper etiam vaſtarunt Syruan. verſ. 23. ita vt ab vtraque parte penè fuerint fatigati.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015145574/phys_0151



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1015145574/phys_0152

rætereuntes Apolloniadá monaſterium
um, Pruſam venimus, vrbem ſitu
, montíque Olympo adhærentem. Di-
in duas partes, vna & ſuperior mu-
cem habet à 6. Imperatoribus Otto-
inhabitatam. Cuius hodie anterior
molendino regio locum præbet. In-
rium, piſcinam, balneas, & domum
ecto & ornamentis ſpoliatam habet.
vrbis parte, duorum primorum re-
ni & Orchan ſepulcra in monaſterio
armore ſuperbiſſimo, vidimus. In-
ars, partim receſſum vallis, hortis
partim radices montis occupat. Se-
cum templo auguſto, Murathis ſe-
ſtafæ filij Solimanni à patre ſtrangu-
m Metropolitanam ἁγίων ἀποσό-
Forum rerum pretioſiſſimarum ex
domus amplas ſatisq; magnificas, ho-
is præbentes, quas Carubanzarias no
a vrbem, orientem verſus, Templum
ſt Baiazetis primi, quem Turcæ To-
t. E regione Templum & ſepulcrum
pulcerrimo conſtructum. Vnde no-
us tantùm 12. Imperatores Ottoman-
re, quorum 6. Pruſæ, 5. Conſtanti-
nopoli

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1015145574/phys_0153